GC

Fasciculus B. Constantini
Eremitae Camaldulensis mpp.

Eremi Camaldulensis
apud Varsaviam.

RELIGIO S. FRANCISCI

Amatrix, Cultrix,

Imitatrix

CHRISTI CRVCIFIXI.

CENTVRIA IV.

AFFECTVVM PIORVM,

ac Operum, quibus fideles Christiani Crucifixum eiusque Passionem, Crucem, Vulnera honorarunt.

Ex libris Gregorij SEV Czurylowij 1700

MODI CXIX. PIE RECOLENDI PASSIONEM DOMINICAM

Exemplis è familijs S. Francisci petitis comprobati.

EXERCITIVM

Amatoris Crucifixi.

AVTHORE
R. P.
MAXIMILIANO SANDÆO
Societ. IESV Doct. Theol.

COLONIÆ AGRIPPINÆ
Apud IOANNEM KINCHIVM
sub Monocerote veteri.

ADMODVM REVERENDO

PATRI INNOCENTIO A CALATAGERONE

GENERALI MINISTRO

ORDINIS F. F. MINORVM *S. Francisci Capucinorum Aduentum ad Visitandum felicem gratulatur*

MAXIMILIANVS SANDÆVS *Societatis* IESV *Theologus.*

SALVS Ordinum Religiosorum est VISITATIO, vt Ecclesiarum Episcopalis inspectio. Quam exemplo sanciuit *Pastor & Episcopus animarum* nostrarum, qui *visitauit nos oriens ex alto.* Cuius est illa post Visitationem à se factam,

Visitatio Christi.

1. Petri. 2. 25.

Luc. 1. 78.

ctam, minax & metuenda Orbi, in vrbem visitatam vibrata sententia.

Luca XIX. 43. *Venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te, & coangustabunt te vndique, & ad terram prosternent te, & filios tuos, qui in te sunt. Et non relinquent in te lapidem, super lapidem, eò, quod non cognoueris tempus* VISITATIONIS *tuæ.*

Visitatio Apostolorum. Hinc prouida semper est adhibita cura in Ecclesiâ DEI, vt tempore congruo instituerent Visitationem curatores animarum. Inter quos vigilantissimus, quem *S. Pauli.* torquebat *solicitudo omnium Ecclesiarum*, Paulus Apostolus cum Barnaba, initio statim religionis Christianæ, visitauit Fratres, quibus prædicauerat vterque Verbum Domini. Deinde Paulus profectus perambulauit Galatiam & Phrygiam visitans, & confirmans Discipulos omnes. Nimirum, hic erat

II. ad Corint. XI. 38

S. Barnabæ.

Actuū XV.

Act. XVIII.

ent Scopus Visitationis Apostolicæ, confirmare nouella fidei germina in sancto proposito, eorumque actiones dirigere, ac suppeditare media, quibus Religio in pristino maneret vigore, ac incrementum sumeret.

Scopus Visitationis Apostolicæ.

In quo munere tam fuit assiduus Princeps Apostolorum Petrus, vt cùm ob crebras gregis, sibi per orbem vniuersum commissi, Visitationes, illum oporteret frequenter abesse ab Vrbe, constituerit Romæ Episcopos, Linum & Cletum, ne sine Pastore diu esset illa Ecclesia, quod tradit Epiphanius.

S. Petri Apost.

Christi & Apostolorum exemplum sequuti sunt, qui proximè illos consequuti, sanctissimi Ecclesiarum Præsules. Et ne posteris fas esset negligere, aut in longum differre functionem speculatori maximè consentaneam,

Visitatio Episcoporum.

Concil. Trident. sess. 24. cap. 3

grauissimè præscripsit Synodus Tridentina, cuius ista est Constitutio. *Patriarchæ, Primates, Metropolitani, & Episcopi propriam Diœcesim per se, aut, si legitimè impediti fuerunt, per suum Generalem Vicarium, aut Visitatorem, si quotannis totam, propter eius latitudinem, visitare non poterunt, saltem maiorem eius partem, ita tamen, vt toto biennio, vel per se, vel Visitatores compleatur, visitare non prætermittant.*

S. Caroli Borromæi.

QVOD fieri posse, docuit nostro seculo, si quis alius diligentissimus muneris tam necessarij exequutor CAROLVS BORROMÆVS Archiepiscopus Mediolanensis & Cardinalis, qui nunquam, quousque id vires permittebant, personalem suæ Diœcæsis, & Ecclesiarum sibi creditarum sacram lustrationem intermisit: fidei augmento, morū correctioni, ac Diuini nominis honorisq; amplificationi

tioni ſemper intentus: non igno-
rans, quantum illi officio pondus
inſit, quantumque detrimenti
eiuſdem intermiſſio in diſcipli-
nam Eccleſiaſticam inuehat.

PRÆSVLES Eccleſiarum in eo- *Viſitatio*
dem munere æmulantur Ordi- *Generaliũ*
num Religioſorum Antiſtites, *Religioſo-*
GENERALES ſiue Magiſtri, ſiue *rum.*
Miniſtri, qui accuratiſſimè, ſi id
ipſorum leges, aut vſus exigant,
per diuerſas prouincias, & regna
Fratres ſuos aut ſocios αὐτοπρο-
σώπως, perſonaliter Viſitare, diffi-
cultatibus omnibus ſuperatis, non
intermittunt.

QVOS inter cùm TV emineas, INNO-
Admodum R.de Pater, quem CENTIVS
DEVS totius Religionis bono, *Ord. Ca-*
GENERALEM Ordinis ſanctiſſimi *puc. Gene-*
Moderatorem eſſe voluit, non du- *ralis.*
bitaſti ad iter longiſsimum & pe-
riculoſiſsimum TE quàm primùm
accingere: nulla ætatis ſenio fa-

Visitat Ordinem. tiſcentis habita ratione, neglecta corporis, tantoperè inediâ continuâ, morbis, ac pœnitentiæ officijs afflicti imbecillitate, denique, ſpretis quæ ab iniuria temporis, & hoſtium vbique circumcurſantium incurſu metui poſſunt extremis malis.

Paſtor bonus viſitat gregem. Atque ita multas regiones, aduerſariorum inſidijs expoſitas, peragraſti incolumis, iter vbique tuũ ſanctitatis ſignans veſtigijs, vt tanquam bonus Paſtor vultum pecoris tui coram agnoſcas, & ſingulis apta ad cuiuſque necéſsitatem remedia præſcribas, Verbo docens & Exemplo. Quod hactenus, DEO laus, quia nihil ſpectas aliud, quàm CHRISTVM CRVCIFIXVM, cui militas, Eiuſdẽ Eximius Amator, & ſedulus Imitator, ceſſit TIBI è voto. Illius, haud dubiè opitulatione, cuius auſpicijs opus tam arduum, & tot difficultatibus impli-

implicatum inchoaſti, ac penè ad exitum in Traſalpinis hiſce partibus perduxiſti.

Quod equidem TIBI, Pater Admodum R^de, ex animo gratulor, & vt omninò feliciter perficias, DEVM Opt. Max. enixiſsimè precor. Cuius vt pignus aliquod Coloniâ, vbi tanquam Angelus Pacis cœlo miſſus, exceptus es, Tecum deferas, en offero Opuſculum, quod confeci, dum per Religioſorum Monumenta, tanquam per cultiſsima virtutum ſolidarum viridaria, ſucceſsiuis horis, oberrans, collegi è multorum Exemplis, vt totidem floribus in vnâ materia amandi, colendi, imitandi CHRISTVM CRVCIFIXVM mel ſuauiſsimum.

Gratulatio.

Apprecatio.

Dedicatio.

Et reperi ſanè, Ordinem S. Franciſci Seraphicum eum eſſe, qui à ſuâ inſtitutione, ad hæc vſque tempora, abundet Exemplis, tum

In Ordine S. FRÃCISCI copia Amatorum Christi-

tum admiratione, tum imitatione dignissimis, quibus meritò tam homines in seculo degentes, quam Religiosi alij, (quibus tamen sua nequaquam desunt, in qualibet familiâ, vt alijs libellis meis ostenditur) excitentur ad CHRISTI CRVCIFIXI peculiarem Amorem Cultum, Imitationem, in quibus summa hominis Christiani consistit perfectio.

Titulus libelli. Huius autem libelli, quem TIBI in manus do, Adm. R. P. lectione, siquando à curis grauissimis & continuis quid supersit temporis, oblectabis Te spero, Titulo inductus, & gaudebis in Domino, TIBI eius Ordinis gubernationem cœlitus commissam, & Visitationẽ imperatam, ac promptè susceptam, in quo, quocumque TE conuertas, inuenias, quod vnicè exoptas, CHRISTI CRVCIFIXI Amatores, Cultores, Imita-

tores præclaros, quod eſt, ambulare, vbicumque pedem ponis, inter FLORES SERAPHICOS, nec non IN MEDIO LAPIDVM IGNITORVM. Vale. Coloniæ Agrippinæ, Kal. Ian. Anno orbis à Chriſto in carne viſitati M. DC. XLVII. quem Tibi Tuiſque felicem precor. Ezech. xxviii. 14.

Pris Tuæ Adm Rdæ
Seruus in Chriſto
M. S.

S. FRANCISCVS ANGELVS APOCALYPTICVS CRVCIFER

Vidi Angelum ascendentem ab ortu Solis habentem Signum DEI viui.
Apocalypſ. VIII. 2.

ANGELVM hũc eſſe S. FRANCISCVM, eiuſque aſſeclas Fratres Ordinis eius Franciſcanos aſſerit S. Bonauentura. Siquidem S. Franciſcus Signum DEI viui, nempe CRVCEM prætulit, cùm CHRISTI CRVCIFIXI ſacra Stigmata corpori ſuo cœlitus impreſſa ſenſit. Idem præferunt Religioſi, Patres Fratresque Franciſcani: nimirum, Signum CRVCIS pœnitentialis, & habitum CRVCI conformem, vt omnes homines ad pœnitentiam & CRVCIS amplexum excitent.

Idipſum S. Bonauenturæ certò reuelatum fuiſſe ſcribit S. Bernar-

dinus

dinus Tomo ſecundo, Serm. LX. initio. Idem dicit Leo X. Pont. Max. alijque, quorum ſententias, & verba adnumerat Henricus Sedulius in Elogijs S. Franciſci, & Antonius de Deça libro de Stigmatibus. Vnus præ omnibus audiatur, omnium inſtar, Ordinis Seraphici decus Bonauentura, qui ſic ſcribit.

HVNC DEI Nuncium, *amabilem Chriſto, imitabilem nobis, & admirabilem mundo, Seruum* DEI *fuiſſe* FRANCISCVM *indubitabili fide colligimus: ſi culmen in eo eximiæ ſanctitatis aduertimus, quâ inter homines viuens imitator fuit puritatis Angelicæ, qua & poſitus eſt perfectis Chriſti ſectatoribus in exemplum. Ad quod quidem fideliter ſentiendum, & piè, non ſolùm inducit officium, quod habuit vocandi ad fletum, & planctum, caluitium, & cingulum ſacci, ſignandiq;* THAV, *ſuper frontes virorum gementium, &*

dolen-

Religio S. Francisci *dolentium Signo pœnitentialis* Crucis, *& habitus* Cruci *conformis: verum etiam irrefragabili veritatis testificatione confirmat Signaculum similitudinis* Dei *viuentis*, Christi *videlicet* Crucifixi: *quod in corpore ipsius fuit impressum, non per naturæ virtutem, vel ingenium artis, sed potius per admirandam potentiam Spiritus* Dei *viui*.

Prologo ad Legendam S. Francisci.

S. FRANCISCO

promittit Dominus Ordinis sui perpetuitatem.

S. Franciscvs initio Ordinis sui, cùm pauci essent, & nonnulli deficerent, adeò, vt Franciscus timeret, ne Ordo deficeret, aut valdè deprimeretur, ac nimis lentè

lentè succresceret, ideoque se valdè affligeret, Dominumque, vt hoc auerteret, obsecraret, audiuit ab eo.

Quid turbaris, Francisce, aut quid angeris, cùm tuorum Fratrum quispiam vel Ordinem deserit, vel in Ordine scandalum concitat? An fortè existimas ita te Rectorem huius gregis constitutum, vt non Me intelligas superiorem eius esse Rectorem? Quis eum plantauit nisi Ego? aut quis præter Me, homines ad pœnitentiam vocat, vel vocatis perseuerandi vires suppeditat? Ego eos perduxi, & Ego retinebo, & seruabo. Ego illis cadentibus alios erigam, atq; substituam. Et si vnus ad vomitum redeat, Ego in eius locum alterum excitabo, qui illius Coronam accipiat: isq;, si nondum natus fuerit, efficiam, vt nascatur. Quod si tres tantum in eo permanserint, eos ipsos nunquam deseram, sed erit hæc semper FAMILIA MEA. *a*

Nimirum hoc tribuit DEVS, tum precibus S. Francisci, tum Ordini ipsi à se instituto, tum Ecclesiæ suæ, cui Ordo Franciscanus, vti & ceteri, perutilis est.

a *S. Bonauent. Henr. Sedul. lib. 2. Apolog. cap. 8. 9. 10. 12. Hieronymus Platus de bono Status Religiosi.*

S. FRANCISCVS

Prædestinationis suæ certus.

S. FRANCISCVS cùm in ecstasi Prædestinationis suæ reuelationem accepisset, sibi redditus exclamabat: *Laudetur Dominus* DEVS *meus: ipsi gloria & sine fine.* Quin & proximos octo dies sic transegit, vt nec de alia re loqui, nec Horas canonicas recitare posset,

ſet;ſed hoc ſolùm in ore haberet, idque ſemper repeteret: *Laudatur Dominus.*

EXHORTATIO DOCTORIS SERAPHICI S. BONAVENTVRÆ *ad Amorem, Cultum, Imitationem* CHRISTI CRVCIFIXI.

IN PASSIONE *Domini*
Quâ datur ſalus homini
Sit noſtrum refrigerium,
Et cordis deſiderium.
Portemus in memoriâ
Dolores & opprobria.
CHRISTI *Coronam ſpineam.*
CRVCEM, *Clauos, & lanceam,*

Et

Et Plagas ſacratiſsimas,
Omni laude digniſsimas.
Acetum, Fel, Arundinem.
Et Mortũ amaritudinem,
Hæc omnia nos ſatient,
Et dulciter inebrient,
Nos repleant virtutibus,
Et glorioſis fructibus.
TE CRVCIFIXVM colimus,
Et toto corde poſcimus,
Vt nos Sanctorum cœtibus
Coniungas in cœleſtibus.
Laus, honor CHRISTO vendito
Et noſtri causâ prodito,
PASSO mortem pro populo
In aſpero patibulo.

Amen.

PRO-

PROTESTATIO AVCTORIS.

CVm Vrbanvs VIII. *Anno* M.DC.XXV.*die* XIII. *Martij Decretum ediderit, idemq; confirmarit die* V. *Iulij. Anno* M.DC.XXXIV. *quo* inhibuit imprimi libros, hominum, qui ſanctitatis, ſeu Martyrij famâ celebres è vitâ migrauerint, geſta, miracula, vel reuelationes, ſeu quæcumque beneficia, tanquam eorum interceſsionibus à Deo accepta continentes, ſine recognitione, atque approbatione Ordinarij, & quæ hactenus, ſine ea impreſſa ſunt, nullo modo vult cenſeri approbata.

Idem autem Pontifex *Max. die V. Iunij, Anno* M.DC.XLI. *ita explicuerit, vt nimirum*, non admittantur Elogia Sancti, vel Beati abſolutè, & quæ cadunt ſuper perſonam; benè tamen ea, quæ cadunt ſupra mo-

res, & opinionem, cum protestatione in principio, quod ijs nulla adsit auctoritas ab Ecclesia Romana; sed fides tantum sit penes Auctorem.

Hvic *Decreto, eiusq́ confirmationi, & declarationi, obseruantiâ ac reuerentiâ, qua par est, insistendo, profiteor me, haud alio sensu, quicquid in Opusculis meis, quæ inscribuntur*, Christvs Crvcifixvs Honoratvs, *& continent affectus pios ac opera, quibus fideles Christiani* Crvcifixvm, eiusque Paßionem, Crucem, ac Vulnera honorarunt, (*ac signatè in hoc Opusculo, quod inscribitur* : Religio S. Francisci Amatrix, Cultrix, Imitatrix, Christi Crvcifixi) refero, accipere, & accipi ab vllo velle, quàm quo ea solent, quæ humana duntaxat auctoritate, non autem diuinâ Catholicæ Romanæ Ecclesiæ, aut

S. Se-

S. Sedis Apostolicæ nituntur: ijs tantummodò exceptis, quos eadem S.Sedes, Sanctorum, Beatorum, ac Martyrum Catalogo adscripsit.

M.S.

FACVLTAS
R. P.
PROVINCIALIS
Ad Rhenum infer.
SOCIETATIS IESV.

EGo IOANNES PANHAVSS *Societatis* IESV *per Prouinciam Rheni inferioris Præpositus Prouincialis, potestate mihi facta ab Admod.* R. P. CAROLO SANGRIO, *Societatis* IESV *Vicario Generali, facultatem concedo, vt Opusculum, cui titulus,* EXERCITIVM AMANDI, *&* COLENDI *eximiè* CHRISTVM CRVCIFIXVM, *à* P. MAXIMILIANO SANDÆO, *Societatis eiusdem Theologo conscriptum, atque à deputatis ad id Theologis lectum, censum, probatum, publici iuris fiat, & typis imprimatur. In cuius rei fidem Sigillum officij mei hisce litteris appressi, & nomen meum subscripsi. Coloniæ Agrippinæ, Anno* M. DC. XLV. XXVIII. *Febr.*

Ioannes Panhauss.

RELIGIO S. FRANCISCI *Amatrix, Cultrix, Imitatrix* CHRISTI CRVCIFIXI.

DECAS I.

I.

AMATOR CRVCIFIXI *audit vocem de Cruce loquentis Domini; & parat se ad obediendum* CRVCIFIXO.

I.

S. FRANCISCVS Assisias ante suam conuersionem, cùm die quadam egressus ad meditandum in agro deambularet iuxta Ecclesiam S. Damiani, quæ mi- nabatur

S. FRANCISCVS Aßisias. Occasio conuersionis.

Ecclesia S. Damiani, minatur ruinam.

nabatur, præ nimia vetustate, ruinam; & in eam, instigante se spiritu, caussa orationis intrasset, prostratus ante imaginem CRVCIFIXI, non modica fuit in orando spiritus consolatione repletus: & ter sequentem Oratiunculam, quanto potuit recitauit affectu.

Orat ter Franciscus

Magne & gloriose DEVS, *& Domine mi* IESV CHRISTE, *illumina, oro Te, tenebras mentis meæ. Da mihi fidem rectam, spem certam, & caritatem perfectam. Fac vt cognoscam Te, Domine; ita vt ego in omnibus omnia, secundum tuam scientiam, & veram voluntatem perficiam. Amen.*

Lachrymatur.

Cum verò lacrymosis oculis intenderet in Dominicam CRVCEM, vocem de ipsa CRVCE dilapsam ad eum, corporeis excepit auribus, ter dicentem: *Francisce, vade, & repara Domum meam, quæ, vt cernis, tota destruitur.* *Tremefactus* Franciscus, cùm esset in Ecclesia solus; stupet ad tam mirandæ vocis auditum, cordeque percipiens Diuini virtutem eloquij, mentis alienatur excessu.

Vox de Cruce. Tremit Franciscus stupet, excedit.

Ad obediendum promptus.

In se tandem reuersus ad obediendum separat, & totum se recolligit ad perficiendum mandatum de materiali Ecclesia reparanda; licet principalior intentio verbi ad eam ferretur, quam CHRISTVS suo SANGVINE adquisiuit. Sicut cum

Ecclesiæ reparandæ Intentus.

S. Spi-

S. Spiritus edocuit, & ipse postmodum Fratribus reuelauit.

Exiens verò Ecclesiam, inuenit propè eam sedentem Sacerdotem, qui ædiculæ curam agebat. Cui ex tempore aliquam tradidit pecuniæ summam, vt ad maiorem illius CRVCIFIXI reuerentiam, coram lampadem appenderet, quæ continuò arderet in conspectu eius, ad cuius intuitum, & vocem *ignis in eo exarsit grandis loquelæ*. a. Addidit autem vt exhausta illa pecunia se conueniret, qui libenter quicquid habebat in illius Ecclesiæ obsequium ministraret. *b*. *Offert pecuniam ad lampadem continuò ardentem.*

Vita S. Francisci, *Auctore* S. Bonauentura, *cap*. 2. *sic habet*: Surrexit proinde signo CRVCIS se muniens, & assumptis pannis venalibus, ad ciuitatem, quæ Fulgineum dicitur, festinus accessit; ibique venditis, quæ portauerat, equum, cui tunc insederat, felix mercator, assumpto pretio dereliquit. Rediensque Assisium, Ecclesiam de cuius reparatione mandatum acceperat, reuerenter intrauit; & inuento illic Sacerdote pauperculo, ei reuerentiam decentem exhibuit, & ad reparationem Ecclesiæ & pauperum vsum pecuniam obtulit: & vt secum se morari pateretur ad tempus humiliter requisiuit. *Cruce se munit.* *Pecuniam proijcit.*

Adquieuit Sacerdos de mora ipſius: ſed timore parentum pecuniam recuſauit. Quam verus pecuniarum contemptor in quandam feneſtram proijciens, abiectam velut puluerem vilipendit.

a, *Ierem.* 11 b. Lucas VVaddingus *Annalium Minoritar. in Apparatu pag.* 25. *citans opuſcula S. Franciſci Tom.* 1.

II.

AMATOR CRVCIFIXI

2. *eruditur ad militiam Crucis viſo armaturæ exercitus Cruce Signatorum.*

S.FRANCISCVS *Aßiſias. Militem pauperem veſtit.*

S. FRANCISCVS, cùm ante conuerſionem ſuam poſt diutinos languores, reſumptis corporeis viribus ſibi veſtimenta decentia more ſolito præparaſſet, obuium habuit Militem, generoſum quidem illum, ſed pauperem, & malè veſtitum, cuius pauperiem pio miſeratus affectu, illum protinus, ſe exuto, veſtiuit.

Palatium Cruce ſignatorum.

Noctе verò inſequenti, cum ſe ſopori dediſſet, palatium ſpecioſum & magnum, cum militaribus armis, CRVCIS CHRISTI Signaculo inſignitum clementia diuina

uina illi monstrauit, vt misericordiam pro summi Regis amore, pauperi exhibitam militi præostenderet incomparabili compensandam mercede. Vnde & cum quæreret, cuius essent illa omnia? sua fore, Militumque suorum, superna fuit assertione responsum. *Visum nocturnũ.*

Euigilans itaque mane, cùm nondum haberet exercitatum animum ad Diuina perscrutanda mysteria, nesciretque per visibilium species transire ad contuendam inuisibilium veritatem, magnæ fore prosperitatis indicium existimabat insolitam visionem. Disposuit itaque diuinæ adhuc dispositionis ignarus, in Apuliam ad quendam liberalem Comitem se conferre, in ipsius sperans obsequio decus adipisci militiæ, vt ostensa visio prætendebat. Cùmque paulo post iter aggressus, iuisset vsque ad proximam ciuitatem, audiuit in nocte Dominum familiari sibi alloquutione dicentem: Francisce, quis potest melius facere tibi, Dominus, an seruus? diues an pauper? Cui Franciscus, Dominus haud dubiè, & diues. Tunc audiuit. Cur ergo relinquis pro seruo Dominum, & pro paupere homine diuitem DEVM? Et Franciscus: Quid me vis Domine facere? Cui Dominus: reuertere in terram tuam: quia visio, quam vidisti spiritualem præfigurat *Interpretatio fallax.* *Ad militiam proficiscitur.* *Illustratur à Deo.*

figurat effectum, non humana, sed diuina in te dispositione complendum.

Disponitur ad militiam Crucifixi. Mane itaque facto cum festinatione redijt Assisium, & iam exemplar obedientiæ factus, expectabat Domini voluntatem: qua destinabatur ad CHRISTI CRVCIFIXI Militiam, quæ à sui ipsius victoria & CRVCIS post CHRISTVM baiulatione inchoanda est. Quare mortificationi carnis inuigilabat attentius, vt CHRISTI CRVCEM, quam interius ferebat in corde, exterius etiam circumferret in corpore.

S. Bonauentura in Legenda S. Francisci. cap. 1.

III.

AMATOR CRVCIFIXI

erga Leprosos peculiariter afficitur, inter illos libenter agit, illorum curam prompte suscipit; quia Christus in Passione fuit habitus quasi Leprosus.

3.

S.FRANCISCVS *Assisias.* S. FRANCISCVS ante mutationem

nem sui status, equitans quadam die per Planitiem, quæ subiacet ciuitati Assisij, Leprosum habuit obuium, cuius inopinatus occursus ei non paruum incussit horrorem. Recurrens autem ad perfectionis mente iam conceptæ propositum, & recolens, quod seipsum oporteret primum deuincere, si vellet effici CHRISTI Miles, ad deosculandum eum equo lapsus accurrit. Cui cum manum, quasi aliquid accepturus Leprosus protenderet, pecuniam cum osculo reportauit. Statim autem equum ascendens, & se circumquaque conuertens, cum campus pateret vndique liber, Leprosum illum minimè vllibi vidit.

Leprosum osculatur.

Admiratione itaq; repletus & gaudio, laudes cæpit Domino decantare deuotè, proponens ex hoc semper ad maiora conscendere. Solitaria proinde loca quærebat, amica mæroribus, in quibus dum gemitibus inenarrabilibus incessanter intenderet, post longam precum instantiam à Domino meruit exaudiri. DEVM enim cum vna dierum sic sequestratus oraret & præ nimietate feruoris totus in DEVM esset absorptus apparuit ei CHRISTVS IESVS veluti CRVCI CONFIXVS. Et intellexit per hoc Vir Dei illud Euagelicum sibi dici.

Solitudinem appetit.

Videt Christum Crucifixū.

Si vis venire post me, abnega temetipsum, & tolle CRVCEM *tuam, & sequere me* a.

Erga leprosos peculiariter afficitur.

Induit ex tunc spiritum paupertatis, humilitatis sensũ, & affectũ intimæ pietatis. Nam cùm prius nõ solũ Leprosorum consortium, verùm etiam longinquum contuitum vehementer horreret; iam propter CHRISTVM CRVCIFIXVM, quem, iuxta verbum Propheticum Iudæi putauerunt, *quasi* LEPROSVM, *& percussum à* DEO *& humiliatum, & despectum*; b. Vt seipsum plenè contemneret, humilitatis, & humanitatis obsequio leprosis beneficia pietatis præstabat. Visitabat enim frequenter domos ipsorum, liberaliter eis eleemosynas erogabat, & cum multo compassionis affectu manus eorum osculabatur & ora.

S. Bonauen in Legenda S. Francisci cap. 1. a. *Matt.* 16. b. *Isa.* 53.

IV.

AMATOR CRVCIFIXI ad memoriam Paßionis Dominicæ ex oculis fundit lacrymas penè sanguineas.

4.

S. FRANCISCVS *Aßisias.*

FRANCISCO postquam visus, & loquutus est CRVCIFIXVS, ita vulnera-

tum,

tum, & liquefactum est cor ad memoriam PASSIONIS DOMINICAE, vt semper dum vixit, quæ CHRISTVS in sua sanctissima carne sustinuit, ille in sua saucia mente portarit. Flebat adeò amare CHRISTVM PASSVM, & quos pertulit CRVCIATVS doloresque adeò amarè recogitabat, vt non lacrymas, sed sanguinem effundere videretur. Et sanè, ita rubebant oculi cum ex oratione rediret, vt omninò sanguinei apparerent. *Amarissima recogitatio Passionis.*

De hinc sacram & salutarem hanc CHRISTI PASSI memoriam magna cibi & potus adauxit abstinentia. Et ne in longum protraheret, quod CHRISTVM ex CRVCE præcepisse iudicabat, SIGNO se muniens CRVCIS exultauit a. *vt gigas ad currendam viam* CRVCIS ac perfectionis Euangelicæ. *Memoria Passionis assidua.* *Proptitudo ad ferendam Crucem.*

Legenda, cap. 1. & 2. Lucas VVaddingus in Apparatu Annal. Minoritar. pag. 25. a. Psal. 118.

V.

AMATOR CRVCIFIXI *ad memoriam Christi passi, ex compassionis affectu, lacrymis planctum iungit.* 5.

FRANCISCVS paulò post conuersio- nem *S. FRANCISCVS Assisias-*

nem suam cùm solus iter conficeret, haud lòngè ab Ecclesia S. MARIA de Portiuncula, ibat alta voce lamenta edens, & planctu animi commotionem prodens.

Planctus. Quid autem est *Planctus*? lamentatio cum pectoris percussione, ictu femorum, manuum compressione, pedum supplosione repentina, euulsione crinium, alijsque istiusmodi signis dolorem ineffabilem indicantibus.

Plangentis gestus. Quæ cum ageret Franciscus, & amarissimè fleret, vir quidam pius venit illi obuiam, & quæsiuit, metuens ne morbo graui torqueretur, aut laboraret delirio: Quid habes frater? Cui Franciscus, ita deberem

Planctus verecundiæ expers. ire per totum mundum, sine verecundia plangendo PASSIONEM Domini mei. Tum ille simul cum flente ac plangente cœpit flere, & vbertim lacrymas profundere.

Chron Gall. S. Francisci lib. 1. cap. 103.

VI.

AMATOR CRVCIFIXI *plangit ipse, & asseclas suas docet plangere Christum Crucifixum.*

6.

S. CLARA Assisias. S. CLARA Virgo, at minimè sterilis, quippe Matercarum omnium Vir-

Virginum, quæ Francisci institutum æmulantur. ab vtero fuit Amatrix CRVCIFIXI. Nec mirum, cùm antequam nasceretur à CHRISTO è CRVCE parenti suæ fuerit laudata. Quomodo talem suum encomiasten statim vt est vtero egressa non adamaret? *laudatur à Crucifixo.*

Huic autem optimæ Francisci alumnæ, & imitatricis sedulæ (quod in eius vita iussu Alexanderi v. Pont. Max. conscripta legitur.) familiaris fuit Planctus Dominicæ PASSIONIS. Dicebat, vt reor, quotidie fontem lacrymarum postulans à Patre æterno. *Planctus familiaris.*

Fac vt plangam Christi mortem,
Paßionis eius sortem,
Et Plagas recolere.

Ex sacris autem CHRISTI PASSI PLAGIS, nunc myrrhatas exhauriebat affectiones, nunc dulcia exsugebat gaudia. Eandem lacryma CHRISTI vehementer inebriabat, & quem cordi suo profundius amor impresserat, frequenter memoria repræsentabat. *Lachryma inebriatur.*

Docebat ipsa nouitias suas, nouellas in religione plantulas, CHRISTVM plangere CRVCIFIXVM. Et quod verbis docebat, facto exequebatur ipsa. Nam sæpe cū in secreto ad talia hortaretur, præueniebat verborum exitum, irriguum lacrymarū. *Docet suas plangere.*

Inter horas diei sexta & nona maiori *Immolari optat.*

compunctione afficiebatur, vt cum immolato Domino immolaretur. Inuidebat illi hos pietatis affectus Diabolus, qui quodam tempore hora nona orantem in cellula percutiens in maxilla oculum sanguine, genam liuore suffudit.

Diabolus inuidet.

Vt autem CRVCIFIXI delicijs absque intermissione pasceret mentem, Orationem de Quinque Plagis Domini frequentius ruminabat.

Oratio de V. Plagis.

Officium CRVCIS, prout CRVCIS Amator Franciscus instituit, didicit, & affectu consimili frequentauit.

Officium Crucis.

Chordulam tredecim nodorum scapulis annulatam subtus ad carnem stringebat secretò in memoriam Saluatoris Passi.

Cordula S. Claræ.

S. Clara ab Alexandro IV. inter Sanctas relata Anno 1255. cum ante biennium ex hac vita migrasses. Baronius Not. Mar. Rom. Bzouius in Ann. Surius 12. Augusti.

VII. A-

VII.

AMATOR CRVCIFIXI

cum lacrimis & gemitibus preces de Paßione Domini recitat; & de ea cogitat, ac meditatur.

7.

B. COLETA Ordinis S. Claræ Religiosa, CHRISTI PASSI inflammata Amatrix, eundem cum Matre sua morem meditandi de PASSIONE Domini tenuit. Quam autem feruenti deuotione, & amore versaretur in hoc commentandi genere sic palam facit eius vitæ scriptor Virgini contemporaneus. B. COLETA

Cæpit id ætate adhuc tenera à matre sua sic instituta, quæ profectò & timebat & amabat DEVM. Quotidie autẽ cum lacrymis & gemitibus dicebat Preces de Saluatoris PASSIONE, multum condolens de iniurijs & pænis, quas ille pro humani generis redemptione libentissimè tolerauit. Eas autem preces Coleta puella diligenter attendens adeò memoriæ mãdauit, vt deinceps earum non potuerit obliuisci. *Puellula honoratim Crucifixum.*

Quo die hora meridiana, qua CHRI- *Angitur cũ Christo.*

Amans solitudinis. STVS CRVCI afflixus eſt, angores cordis ſentiebat vehementiſſimos cum Chriſto acerbiſſimè patiente. Vt autem illos ſecretius & deuotius perferret, libenter ea ſe hora ab aliorum hominum ſubducebat conſortio, atque ita ſola manens, omnes animi vires intendebat ad cogitandas iniurias, perſequutiones, conuitia, opprobria, horrendam atque ignominioſam mortem, quæ CHRISTVS Dominus, deſiderio ſalutis noſtræ patienter & cupidè perpeſſus eſt.

Extra ſe rapitur. Porro, in eiuſmodi meditationibus frequenter extra ſe rapiebatur, & in Deum transformabatur ardentiſſimo deſiderio & amore. Præcipuè tamen ſextis ferijs ab hora ſexta matutina vſque ad ſextam veſpertinam, poſtquam mane audiuiſſet ſacrum Miſſæ officium; nihil interim manducans aut bibens: tam autem erat feruenter & efficaciter PASSIONI Dominicæ commemorandæ intenta, vt ſæpenumero, præ doloris vehementia in manibus, pedibus, & latere ſuo ſibi reuera videretur lancea & clauis confixa. Ecquis verò poſſet lacrymarum imbres, & anxios exprimere gemitus, quibus illa occupabatur tota illa hebdomade, quæ Sancta cognominatur?

In ipſa eius ſtudioſa iuuentute ſpecialis

quæ-

quædam erat ei collata gratia circa Domini PASSIONEM. Cum aliquando feruenter & profundè meditata esset, CHRISTVS ei apparuit indicauitque modum familiariter, quo passus esset; & vt singulis membris singulares pertulerit cruciatus humanæ salutis amore.

Inde verò Coleta vehementissimum quendam concepit cordis dolorem & angustiam. Ac nihilominus ardore quodam amoris ac deuotionis erga CHRISTI PASSIONEM intantum incensa fuit, vt sæpius reminiscens huius visionis, & crudelium pænarum, quibus affectum viderat Corpus innocentissimum Saluatoris, planè destitueretur viribus; nihilque prorsus exterius sentiret in statum alium transformata. *Sensium vsu testituitur.*

Atque ita in Hebdomade sancta multa illi diuinitus præstabantur memorabilia. Cùm enim legerentur PASSIONES CHRISTI sub Missarum solenniis, vt fieri solet, ipsa dolores, quos passus est Dominus in corpore suo, sentiebat in corde & corpore; in quibus adeò renouabantur, vt nunquam sic visa fuerit mulier laborare parturiendo, quemadmodum ipsa videbatur condolendo. *Sentis dolores Christi Passi.*

Coleta *fuit Reformatrix Ordinis S. Claræ. Obijt An.* 1447. De ea Ioa. *Molanus in Annot. Martyr. Vsuar. & Natalibus*

SS. Bel-

SS. Belgij Stephanus Iuliacus, Scriptor vitæ contemperaneus. Surius VI. Mart.

VIII.

AMATOR CRVCIFIXI

Crucem Christi, & in ea Christum vestitus formâ, coloreq; adumbrat.

8. S. FRANCISCVS initio conuersionis assumpsit vestem, cuius mensuram, colorem, & qualitates alias, ita ferè Legenda antiqua, & ex ea recentiores Ordinis scriptores referunt. Tunica Francisci fuit pallentis & cinerei coloris, qualem fuisse Tunicam CHRISTI inconsutilem quidam adfirmant. Fuit quoque CRVCIFORMIS: cuius longitudo terram non attingebat; latitudo verò manicarum admodum erat notabilis.

S. FRANCISCVS Assisias.

Tunica cinerei coloris.

Cruciformis.

Vnica.

Fuit autem ei vestis vnica, atque abiecta, & ad pedes defluens. Nec turpe ducebat eam ferre, quamquam Principes conueniret. Hac vtebatur ille, siue vis frigoris, & hiemis instaret, siue ardor æstatis. Capitium quoque quadratum detulit, tantæ quidem longitudinis, quod faciem operiret. Qualem habitum deferre consueuerunt agrestes illius regionis homines,

Capitium quadratum.

nes. De quo quidam ex illius seculi Poetis ruditer, ,sed significanter:

FRANCISCVS *verò donum lætabile agrestis*
Accipit, & forma quam primum insignit amata
Texta CRVCIS, *consuta dehinc simul aptat habenda*
Tegmina dura sibi. ——

Itaque forma habitus Francisci, formam CRVCIS insigni quodam mysterio repræsentabat, & omnis mundanæ gloriæ, & ornatus contemptum alta quadam despectione ostendebat, vt esset dumtaxat nuditatis operimentum, necessitatis fomentum, humilitatis veræ indicium, & improperij CRVCIS CHRISTI IESV, quæ semper fixa erat in eius animo: denique singulare contra hostes remedium. Adiungebat Franciscus Chordam, quæ nodis aspera, vincula Christi exprimebat.

Vestis instar Crucis.

Chorda.

a. *Franciscus Maurus lib* 5. *Francisc. in principio. Lucas VVaddingus in Annal. Minorit. Anno* 1208.

IX.

AMATOR CRVCIFIXI *infantulus ab Angelo Crucis signo insignitur.* 9.

FRANCISCVS *Princeps inclytus*
Signum regale baiulat;

S. FRANCISCVS *Et Assisias.*

Et celebrat Concilium
Per cuncta Mundi climata
Contra Draconis Schismata
Acies trinas ordinat
Expeditorum Militum:
Ad fugandum exercitum,
Et tres catervas Dæmonum
Quas Draco semper roborat.

Accipit signum Crucis in humero dextero.

Vt autem ad hæc esset expeditior Franciscus, & ab infantia disceret portare CRVCEM Domini, Angelus bonus Franciscum infantulum complexus, eius humero dextro Signum viuificæ CRVCIS inscripsit, & veluti Ducem Militiæ Christianæ ea tessera CRVCIFIXO auctorauit: vt habet Liber Conformitatam vitæ S. Francisci ad vitam IESV CHRISTI.

a. *Auctor huius libri est F. Bartholæmæus Pisanus, Minorida, qui illum scripsit An. 1389. In hunc prodijt An 1513. Alcoranus* Nudipedum *(sic Germani Franciscanos appellant) & An. 1578. Alcoranus Cordigerorum Latino Gallicus: denique An 1589. Alcoranus Fratrum Minorum Belgicè. Legendus Henricus Sedulius ex ordine Minorum, in Apologetico, aduersus Alcoranum Franciscanorum pro libro Conformitatum.*

X. AMA-

X.

AMATOR CRVCIFIXI

Stigmata Crucifixi Domini suo portat in corpore.

S. FRANCISCVM quicumque nominari audit, aut pictum videt in tabula, rapitur ad contemplationem Stigmatum, quæ PASSI CHRISTI ille feruentissimus Amator, & CRVCIS Procus circumferebat, & Mundo ostentabat. *a.* Nimirum, cum penè oblitterata esset, certè obscurata in mundo PASSIONIS Dominicæ, & CRVCIFIXI Domini viua Imago, olim fidelium animis impressa, miraculo omnibus seculis stupendo, corpori Francisci, tanquam Armigeri & Vexilliferi sui, STIGMATA QVINQVE, velut gentilitia insignia CHRISTVS PASSVS impressit; vt quod quidam canit,

10.
S. FRANCISCVS *Aßisias.*

STIGMATA CHRISTI.

Astricomis Heroa manus, pedesque
Vulneribus fossum.

conspiciens Orbis, in se CRVCIFIXI Domini redanimaret memoriam, & amoris ignem propè extinctum in multis reaccenderet, in alijs languentem excitaret.

Hunc

Finis impressorum stigmatum. Hunc enim etiam fuisse finem Stigmatum Francisco impressorum, Oratio declarat, quæ in Officio SS. Stigmatum recitatur in Sacrificio post communionem: *Omnipotens sempiterne DEVS, qui refrigescente mundo, ad inflammanda corda nostra in carne Beatissimi Patris N. Francisci* PASSIONIS *Sacra Stigmata renouasti, concede propitius, vt eius meritis & precibus dignos fructus pœnitentiæ faciamus.*

Angelus Seraph. QVIS autem non audiuit, quod scribit S. Bonauentura, Franciscum ab Angelo Seraphino CRVCIFIXVM alis suis continente CHRISTI CRVCIFIXI STIGMATA, idest, Clauos per pedes & manus, vulnusque Lateris, instar Christi, accepisse, quoniam totus in CHRISTI CRVCIFIXI amorem, imitationem, & obsequium transire gestiebat?

Claui in manibus & pedibus, quales? Erant hi Claui non è ferro, sed è carne mortua, calli instar, & clauorum, capite scilicet crassiore extante, & cuspide acuta inferius reflexa. Qui Virum Sanctum ita cruciabant, vt vix incedere posset. Sic enim ambulantem torquere etiam solent incessu calli pedum è carne mortificata.

HAEC Stigmata, suis se oculis in Francisci corpore mortuo conspexisse testatus est Alexander IV. Pontif. Max. ex cuius ore idipsum audiuit Bonauentura. Impius autē

est

est Theodorus Beza, vt solet, ac blasphemus, qui Commentario in Epist. ad Galatas Franciscum Stigmatibus CHRISTI notatum, appellat *Horrendum stigmaticum Idolum*, & Auctor Alcorani, *Idolum Stigmatizatum*, idque falsum ac confictum. Sed nos maiorem fidem adhibemus Christi Vicario testi oculato. Benè dixit Quidam: Totum CRVCIFIXVM in Francisco videbis, si Vulnera eius inspicies. Nec malè cecinit alter: *s.*

Hoc restabat, eâ Franciscus imagine Christum
Redderet. O Lector! Christus hic alter erit.
Tu si credis, ohe satis est, ne dispice factum,
Quod nemo capiat. Suspice Numen abi.

Atque idcirco se factum esse Stigmaticum (si ita loqui licet) didicit diuinitus ipse Franciscus, de quo hæc S. Bonauentura: *Stigmaticus.* *Excreuerat in Francisco insuperabile amoris incendium Boni IESV in lampades ignis atque flammarum, vt Seraphicis desideriorum ardoribus ageretur, & per Seraph Stigmata sibi imprimentem cognouit se non martyrium carnis, sed per incendium mentis, totum in* CHRISTI CRVCIFIXI *similitudinem transformandum.*

Nec malè pius Poeta recens, insupera-

bile illud Amoris incendium perpenden[s] scribit, Sanctum Patrem Franciscum, sac[ris] suis Stigmatibus Diuini Amoris Sagitt[as] abundè probasse.

Qui negat æthereo pharetras & spicula Amo[ri]
Franciscum exutâ conspiciat tunicâ.
Vulnera, quæ lœso spectabit corpore, DIVI
Igniferâ quondam cuspide fixit AMOR.

a. *S. Bonauentura lib. vitæ. cap.* 13. *Henric[us] Sedulius Commentario in illud cap. & i[n] Elogijs. Pisanus lib. Conformitatum:* B. Francisci Stigmata lucebant, sicu[t] quinque stellæ pulcherrimæ cælum illustrantes b. *Philippus Bosquier Con.* 1. *de Pass. c. Iulius Scal. g. in Poëtic.* d. *Ignatius Dickerus. lib.* 1. *Sacr. epigram.*

DECAS II.

I.

AMATOR CRVCIFIXI

initio conuersionis suæ ad Deum, Crucem adsumit: in progressu Crucem baiulat: in fine Crucem
II. *amplexatur; & ab eâ, vt ab Arbore vitæ, non auellitur.*

S. FRANCISCVS *Aßisias-* FRANCISCO suo hæc attribuit, & de

ijs illum commendat S. Bonauentura, hac post Stigmatum Dominicorum narrationem apostrophe. Eia nūc strenuissime Miles Christi, ipsius fer arma inuictissimi Ducis, quibus munitus & insignitus omnes aduersarios superabis. Fer Vexillum Regis Altissimi, ad cuius intuitum omnes pugnatores Diuini exercitus animentur, Pontificis CHRISTI, quo verba & facta tua, tanquam irreprehensibilia, & authentica meritò ab omnibus acceptentur.

Iam propter STIGMATA Domini IESV, quæ in corpore tuo portas nemo debet tibi esse molestus; quintas potius quilibet Christi seruus omni esse tenetur affectione deuotus. Iam impleta est prima Visio, quam vidisti: videlicet, quod Dux in militia Christi futurus armis deberes cælestibus Signoque CRVCIS in insignibus decorari. Iam in principio tuæ conuersionis CRVCIFIXI visio compassiui doloris gladio mentaliter te transfigens; sed & auditus vocis de CRVCE, tanquam de throno CHRISTI sublimi, & secreto Propitiatorio procedentis, iuxta quod tuo sacro firmasti eloquio, vera indubitanter fuisse creduntur.

Iam

iam in tuæ conuerſionis progreſſu & CRVCEM, quam vidit F. Silueſter ex ore tuo mirabiliter procedentem; & gladios in CRVCIS modum tua viſcera tranſfigentes, quos ſacer vidit Pacificus; teque ſecundum CRVCIS figuram in aëre ſubleuatum, cùm de CRVCIS titulo S. prædicabat Antonius, iuxta quod Angelicus vir Monaldus proſpexit, non phantaſtica viſione, ſed reuelatione fuiſſe cælica conſpecta verè creditur & firmatur.

Iam denique circa finem, quod ſimul tibi oſtenditur & ſublimis ſimilitudo Seraph, & humilis effigies CRVCIFIXI interius te incendens, & exterius te conſignans, tanquam alterum Angelum aſcendentem ab ortu Solis, qui Signum in te habeas DEI viui, & prædictis dat firmitatem fidei, & ab ijs accipit teſtimonium veritatis.

Ecce iam ſeptem apparitionibus CRVCIS CHRISTI in te ſecundum ordinem temporum mirabiliter exhibitis & monſtratis, quaſi ex gradibus ad iſtam Septimam, in qua finaliter requieſcis, perueniſti. CHRISTI namque CRVX in tuæ conuerſionis primordio, tam propoſita, quàm adſumpta; & dehinc in conuerſionis progreſſu per vitam probatiſſimam baiulata; in te ipſo continuè, & in

exem-

exemplum alijs demonstrata, tanta certitudinis claritate ostendit Euangelicæ perfectionis apicem te finaliter conclusisse, vt demonstrationem hanc Christianæ Sapientiæ in tuæ carnis Vulnere exaratam, nullus verè deuotus abijciat, nullus verè fidelis impugnet, nullus verè humilis parui pendat, cùm sit verè diuinitus expressa, & omni acceptione condigna.

S. Bonauentura in Legenda cap. 13. Lucas VVaddingus in Annalib. Minoritar. tom. 1. anno 1224. pag. 319. Liber Conformitat. Pisani.

II.

AMATOR CRVCIFIXI

Crucem habet viæ Ducem. 12.

ANNO M. CC. XXIV. S. Franciscus cùm ex ciuitate Castelli pro ficisceretur ad ædem S. MARIAE Angelorũ, socium habuit F. Leonem, (cuius testimonio vtimur) qui Crucem videbat auream, mira colorum varietate pulcherrimam, quæ Virum DEI præcedebat in itinere, & coram stante stabat, coram ambulante incedebat, donec dictam ingressus esset ædem. *S. FRANCISCVS Asisias.*

Per quod voluit DEVS Socio S. Patris significare, magnum Viri Sancti erga CRVCEM affectum: & CRVCEM voluisse exhibere præsentem oculis corporis, qui coram semper habebat in corde, & VVLNERA in eadem CHRISTO inflicta habebat in carne. CHRISTO igitur interius exteriusque iam CONCRVCIFIXVS, non solùm Seraphico amore ardebat in DEVM, verùm etiam sitiebat cum CHRISTO CRVCIFIXO multitudinem saluandorum. Faciebat proinde, quoniam propter excrescentes in pedibus clauos ambulare non poterat, corpus emortuum, per ciuitates & castra circumuehi, vt ad CRVCEM CHRISTI ferendam ceteros animaret. Fratribus quoque dicebat: Incipiamus, Fratres, seruire Domino DEO nostro, quia vsque nunc parum profecimus.

Annales Minorum VVaddingi, An. 1224 pag. 321.

III. A-

III.
AMATOR CRVCIFIXI

Baculo suo, signo Tau insignito, crus fractum consolidat. Et litteras caritatis eodem signo consignat. 13.

ANNO M. CCXXVIII. in Castro Choræ Ostiensis diæcesis, vir quidam sic crus suum læserat, eiusque planè vsum omnem perdiderat, vt nullo modo progredi, nec mouere se posset. Positus itaque in angustia vehementi, & de auxilio desperans humano, cæpit nocte quadam, ac si præsentem cerneret B. Franciscum. conqueri in hunc ferè modum. Adiuua me Serue DEI Francisce, recolens meum seruitium, & deuotionem meam tibi impensam. Nam in asino meo te portaui: sanctos pedes tuos, & sanctas manus tuas osculatus fui: semper tibi deuotus, semper beneuolus extiti: & ecce morior doloris huius durissimi cruciatu. S.FRANCISCVS *Assisias.*

His pulsatus querelis, statim adfuit beneficiorum memor, & deuotioni gratus, ac viro vigilanti cum vno Fratre

apparuit: ad eius se vocationem venisse dixit, & attulisse remedia sanitatis. Deinde tetigit locum doloris cum baculo paruulo, qui figuram Tau, CRVCIS symbolum elementare in se habebat; & disrupto mox apostemate, perfectam tribuit sanitatem. Quodque mirabilius est, sacrum signum TAV impressum super locum sanati vlceris, ad miraculi memoriam dereliquit.

Hoc Signo TAV, nempe, Sacrosanctæ CRVCIS, Franciscus suas consignabat litteras, quoties caritatis caussa scriptum aliquod dirigebat.

Lucas VVaddingus in Annalibus Minorum, ad illum annum. pag. 391.

IV.

AMATOR CRVCIFIXI

Paßionem Dominicam, & Crucifixum Dominum, vt quotidianum orationis, meditationis, dictionisq́; suæ argumentum sibi sumit.

14. S. FRANCISCVS *Aßisias.*

B. FRANCISCVS scire volens, quid nam frequentius orare, meditari,

ditari, ac loqui deberet, fertur aperuisse Missale, & quidem tertiò, ac singulis identidem vicibus incidisse in lemma: PASSIO DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI. Quod ipse diuinitus factum existimans, vti reuera fuit, inde collegit prudenter, ac didicit, nullum esse argumentum DEO gratius ad orandum meditandum, concionandum homini religioso, nullum sibi ac proximo vtilius, quàm PASSIONEM Domini, & IESVM CRVCIFIXVM. Quare in posterum de CRVCE meditari, de Titulo CRVCIS frequenter loqui, de IESV CRVCIFIXO, ac PASSIONE tota sæpe sæpius concionari fuit solitus.

MS. *Centuria 2. de Crucifixo honorato, Dec. 3. § 10.*

V.

AMATOR CRVCIFIXI

pro stulto se haberi, ad Christi in Paßione pro fatuo habiti imitationem, non refugit. 15.

FRANCISCVM pro Stulto habitum scribit Pisanus in libro conformita- S. FRANCISCVS *Aßisias.*

tum Francisci cum Christo. Hoc non r fugit imitator Crucifixi, de quo gloria bantur primi eius Discipuli, quorum hoc erat carmen *Nos stulti propter Christum* a. Rectè S. Ambrosius: *Amantes Christum stulti sunt mundo.* Franciscus nominabat *Fatuellum mundi.* Et profectò, nonnunquam ea edebat ipse, quæ mundi Sapientibus à fatuitate profecta videri poterant. Per hanc stultitiam non improbè simulatam Vir sanctus peruenit ad Sapientiam verã. Imitemur, &c. si Amatores CRVCIFIXI esse volumus, teneamus innocentiam, teneamus iustitiam: subeamus imaginem stultitiæ, vt veram sapientiam tenere possimus. Nihil ad nos attinet, quid iudicent stulti, quid homunculi sentiant. *b,* Imitatus est egregie, si quis alius, Patrem suum

B. IACOPONVS *Tudertinus.*

F. IACOPONVS *Tudertinus*, c. qui cùm vias modosque persequeretur, & amplecteretur studiosè omnes, quibus mundo vniuerso vilesceret, & STVLTVS haberetur ab eius amatoribus, tot dedit amentiæ simulatæ documenta, vt vix parem Iacopono in syllabo stultorum propter Christum sit reperire.

Et

Et tu si inter Amatores CRVCIFIXI vis recenseri, ne recusa quo minus à Mundo amens & fatuus habearis. Sapientiam huius mundi stultitiam esse apud DEVM, constat ex Apostolo: quare siquis videatur esse sapiens in hoc seculo, necesse est, vt Stultus fiat, vt sit sapiens: non reuera stultus, sed iudicio delirantis mundi,

a. 1.*Corin.*3.S.*Amb.*16. b. *Lactant. Epitomi diuin. Iustit.cap.*1.

c. *Matthæus Raderus in Viridario, lib. de contemptu sui, qui eiusdem tituli Stultos, aut simplices plures adducit.*

VI.

AMATOR CRVCIFIXI

calido semper est affectu in Passionem Christi, qui illum signo Crucis variè adornat & nobilitat. 16.

S. FRANCISCXS diuina imprimis gratia, tum amore ac perenni meditatione CRVCIFIXI CHRISTI ad illum redamandum, colendum, atque imitandum ita fuit prouectus, vt quò altius S.FRANCISCVS *Asisias.*

ascenderet homo mortalis eius conditionis haud facile concipias. Profectò, ille si quis alius, dicere potuit cum Ignatio *a* Antiocheno, amore captus moriendi propter CHRISTVM: Meus Amor CRVCIFIXVS est. Huius contemplatione à patre suo lubens abdicatus, vestem calce Signo CRVCIS signauit, quo se CRVCIFIXO auctoratum ostenderet, verus amicus CRVCIS CHRISTI, sub signis Christi perpetuò habitus, ac viriliter militans. Eius erat affectus, quem his exprimit verbis Bernardus; *b*.

Super omnia reddit amabilem Te mihi, IESV bone, Calix, quem bibisti, opus nostræ redemptionis. Hoc omninò amorem nostrum faci è vendicat totum sibi. Hoc est, quod nostram deuotionem, & blandius allicit, & iustius exigit, & arctius stringit, & afficit vehementius. Itaque PASSIO CHRISTI Francisco semper erat in ore, in corde, in opere. Hæc eius erat sublimior Philosophia: Scire IESVM, & hunc CRVCIFIXVM.

B. FRANCISCVS *ita deplorabat* PASSIONEM CHRISTI, *quod cæcus factus est*, scribit Pisanus. c. *Interrogatus, cur sic amarè fleret? respondit, quod* PASSIONEM Domini *ploraret, pro qua non*

deberent verecundari ire per totum mundum plorando. Nimirum ponderabat fructum & lacrymarum, & perpetuæ memoriæ, quam etiam habuit

F. IOANNES AB ALVERNA, qui sub mortem dixit adstantibus Fratribus: *Vnum scitote, quod qui vult æternam adipisci salutem,* SOLI CHRISTO CRVCIFIXO *ardenter inhæreat.* Benè & sapienter secundum spiritum: *Quid enim tam efficax ad curanda conscientiæ vulnera, nec non ad purgandam mentis aciem, quàm* CHRISTI VVLNERVM *sedula meditatio?* CHRISTI PASSIO *vltimum est refugium, singulare remedium. Deficiente sapientiâ, iustitia non sufficiente, sanctitatis succumbentibus meritis illa succurrit. Quis enim de sua vel sapientiâ, vel iustitiâ, vel sanctitate præsumat sufficientiam ad salutem?* F. IOANNES AB ALVERNA.

B. FRANCISCVS *lacrymosis oculis in Dominicam* CRVCEM *intendebat Et vocem* CRVCIFIXI *ad se delapsam ter audiuit.* Quin etiam, cùm CRVCEM CHRISTI assiduè meditaretur, F. LEONI monstratum est, CHRISTVM CRVCIFIXVM, & non CRVCEM tantum, vt superius dictum. B. Francis- B. FRANCISCVS. F. LEO

cum *præcedere:cum stante stantem, cum eunte euntem, & secum loquentem.*

F. PACIFICVS. F. PACIFICVS *vidit* B. Franciscum *duobus ensibus valdè fulgentibus in modum* CRVCIS *consignatum.* Idem, TAV *magnum in eius fronte.* Admodum puerum ab Angelo in humero dextro CRVCE consignatum superius audiuimus.

Vt mirum videri non debeat, eundem iam virum CRVCIS viuificæ signo insignitum fuisse in fronte. *In frontem data nobis* CRVX est, inquit Damascenus, *quo* signo *dignoscimur ab infidelibus.* d.

F. SILVESTER. F. SILVESTER vidit ex ore Francisci ingentem auream CRVCEM Draconem teterrimum ab Assisio profligare. Hoc armaturæ genere vtebatur vbique Franciscus: nam expertus erat; quod *Signum* istud *præsidium sit amicis, obstaculum inimicis.* vt loquitur Augustinus e.

a. *Epist. ad Roman.* XII. b. *Serm.* 43. *in Cant.* 62. 22. c. *Lib. Conformit. Alcoran.* 269. d. *Damasc. lib.* 4. *Orthod. fidei cap.* 12. e. *Serm.* 19. *de sanctis. Henricus Sedulius lib.* 1. *Apologet. contra Alcoran. cap.* 17.

VII.

AMATOR CRVCIFIXI

cauet, ne in templo, inter officia diuina rideat. Contrarium qui faciunt, quamuis statu Religiosi, à Crucifixo mulctantur. 17.

FF.MINORES *quidam.*

ANNO M. CC. XX. in Domo Oxoniensi Fratrum Minorum, mira accidit res, qua significatum voluit humani generis Redemptor, quam seriò ac reuerenter persolui velit pensum Ecclesiasticum Diuini Officij, & in suo conspectu digna reuerentia horas recitari canonicas.

Euenit, vt quidpiam Fratres inter Completorij preces mouerit ad risum, illique minus religiosè loci sanctitudinem respicerent, quin dissolutè riderent.

Cùm ecce repentino & magno fragore CHRISTI CRVCIFIXI effigies, quæ super chori ostium pendebat, verso ad Fratres vultu, indignationem & subsannationem erga ridentes indicauit. Quam & illi senserunt: nam ex tremen-

do fragore, & commoto CRVCIFIXI vultu statim tabescentes, qui præcipui erant in culpa, paucis post diebus, vitam cum morte commutarunt.

F. Lucas VVaddingus in Annalibus Minorum Tomo 1. pag. 246.

VIII.

AMATOR CRVCIFIXI

18. *Crucis Signo membris contractum sanat.*

S. ANTONIVS *Patauinus*

ANNO M. CCXXXI. S. ANTONIVS dictus Patauinus, ab vrbe diutinæ commorationis, patria Lusitanus Vlissipone natus, cum ex vrbe quadam AEmiliæ à prædicatione rediens per solitudinem iter haberet, vt populi applausum euitaret; mulier quædam viæ compendia quærens, Virum DEI per deuia assequuta, filium suum brachijs & cruribus à primo ortu contractum ad eius pedes abiecit, cum multis lacrymis rogitans, vt CRVCIS signum in illum exprimeret, nihil dubitans hoc facto filium illicò sanatum iri. Sed

Sed cum Vir ſanctus præ multa modeſtia, & humilitate id recuſaret, illa flens largius & preces multiplicans clamare cæpit: Domine Pater Antoni miſerere mei.

Tandem Vir pius & matris afflictione, & filij calamitate commotus, tum etiam flexus precibus ſocij ſui F. Lucæ eius perpetui comitis ſcientia & ſanctitate præclari, CRVCIS SIGNVM in CHRISTI nomine in ægrum puerum edidit; & illo eodem temporis puncto ſanus & incolumis ſurrexit. Porrò, vir DEI non hæc ſuis meritis, ſed fidei mulieris, adſcribens, rogauit eam vt dum ipſe in viuis eſſet, nulli id propalaret.

Antonius Olſipponenſis *Ordinis Minorum, migrauit ex hac vita An.* 1231. *ſequenti verò ſtatim in numerum SS. rum receptus à Gregorio* IX. *Baronius in Not. Martyr. Surius* XIII. *Iun. Annales FF. Minor. VVaddingi pag.* 435.

IX.

AMATOR CRVCIFIXI 19.

Signo Crucis claudam & morbo caduco laborantem ſanat.

S. ANTONI- *Paduanus.*

ANTONIVS idem, cùm ageret in vrbe

vrbe à qua cognomen accepit, erat pu-
la annorum quattuor pedum officio c-
rens insuper morbo caduco laborans, qu-
crebro volutabatur spumans, & ad terra-
se miserandum in modum allidens. Ha-
eius parens, Petrus nomine, cum gesta-
in vlnis, obuium fortè habuit virum DE-
à concione reuertentem. Itaq; eum obni-
rogauit, vt Signum vitalis CRVCIS e-
deret in puellam. Ille cernens homini-
sinceram fidem à capite vsque ad pede-
CRVCE eam signauit, & derepentè
sana facta est.

Annales FF. Minorum Lucæ VVaddingi pag. 437.

X.

AMATOR CRVCIFIXI

Sanguinem è Latere Crucifixi, vt lac maternum, quo nutriatur, respiciat, eoque intuitu blanditias maternas spernat.

20. DOCTOR *Parisiensis Tiro Anonymus.*

ANNO M. CC. XXXII. Cùm in vrbe Lutetiarum insignis quidam Doctor ad institutum S. Francisci se contulisset, mater eius tenuis facultatis mulier, quæ filium adolescentem,

tem, & in litteris proficientem, manuum ſuarum laboribus ſuſtentarat, multis clamoribus & lacrymis ſuam orbitatem atque paupertatem lamentari cœpit; ac tum filium, tum Minoritas omnes, tanquam inhumanos & iniuſtos etiam traducere, & accuſare.

Quibus cum ille in Religione tiro commotus iam in propoſito nutaret, & ante CRVCIFIXI imaginē oraret ſupplex, quaſi veniam petens ab eo diſcedendi ad matrem ſubleuandam, vidit è CRVCIFIXI LATERE perfoſſo manantem SANGVINEM, ſimulque hanc vocem audiuit; Ego te charius nutriui, quàm mater tua; quare non me deſerere debes propter matrem tuam. Quo ille & ſtupefactus, & ita roboratus eſt, vt deinceps maternas omnes vel blanditias, vel querelas facilè contempſerit.

S. Antoninus, par. hiſt 9. cap. 24. §. 7. Chron. S. Franc. antiq. Annales FF. Minor VVaddingi Tomo 1.

DEC.

DECAS III.

I.

AMATOR CRVCIFIXI

ex consideratione Christi acerbißima in Cruce paßi concipit desiderium insaturabile extrema quælibet in hac, & in
21. *altera vita, pro se, & pro alijs patiendi.*

B. IACOPONVS *Tudertinus.*

HVIVS desiderij, si vllus, CRVCEM post CHRISTVM in religioso statu baiulantium, dedit sanè perquā multa & illustria documenta B. IACOPONVS *Tudertinus.* Hic cum ab ineunte adolescentia Iuris Ciuilis prudentiæ impensè nauasset operam & in eius cognitione tantum promouisset, vt Doctoris titulo & insignibus decorus celebraretur in theoria, ad praxin se contulit, in qua summam reportauit laudem. Factus Aduocatus regnabat in foro, quippe Iuris consultissimus, & porro in artibus fraudibusque ad fortunas augendas ac-

commodatis versatissimus. Duxit deinde vxorem omnibus naturæ, immò & gratiæ ornamentis cumulatam, cuius lamentabili casu, quo illa occidit, & mox aspectu eius, ac cilicij, quod sub pretiosæ vestis patagio appressum corpori nudo gestauerat, commotus, nouam quandam vitæ rationem inijt, & breuissimo tempore adeò in CRVCIFIXI disciplina Scholaque profecit, vt inter summos numerari posset. Omitto quæ dixit, fecitque, admiranda, sed non omnibus, nec vlli absque Dei afflatu peculiari imitanda.

Istud huc spectat. Cùm Fratrum Minorum Institutum esset complexus sub arcta S. Francisci regula, oculis in se & vitam suam ante actam conuersis, seque vilem, sordidum, sælerarumque intuitus: tum verò considerans DEVM rei tam vilis amore, carnem humanam sumpsisse, mortem doloris ignominiæque plenissimam in CRVCE subire dignatum, tanto in se ipsum odio exarsit, tormentum vt nullum, nullamque ærumnam, quamuis magnam & grauem, suo corpore animoque excipere ac sustinere, vltroque accersere in seipsum dubitaret. Nec id aliam ob caussam tantoperè expetebat, nisi vt iustissima

ſima de ſuis ſceleribus, quæ mortis atro-
ciſſimæ, quam Chriſtus in CRVCIS pa-
tibulo ſubiuit cauſam fuiſſe ſibi perſua-
debat, viadicta pænaque legibus debita
ſumeretur.

Rogatus quodam tempore, quid IESV
CRVCIFIXI amore patienti animo ſuf-
ferre paratus eſſet, reſpondit: ex animi ſen-
tentia deſidero ob Chriſti amorem ſum-
ma mentis tranquilitate ſuſtinere in hac
vita omnes labores, ærumnas, angores
moleſtias & dolores, qui verbis exprimi
aut animo, & cogitatione concipi poſſunt.
Nec id perferre ſatis habeam: Sed & per-
uelim, vt ſimul, ac ex hac vita demigraue-
ro, Cacodæmones animam meam abrep-
tam in horrendum ſupplicijſque deputa-
tum inferorum locum deferant, vt inibi
pænas omnes, & meis & eorum omnium,
qui igne purgante attinentur, atque atti-
nebuntur, vt & æternum condemnato-
rum, ſi fieri poſſit (vti non poteſt) pec-
catis debitas animo meo perpeſſus diui-
næ iuſtitiæ ſatis faciam.

Adhæc, IESV CHRISTI CRVCI-
FIXI amore ſupplicia tolerarem omnia
pro ipſis Dæmonibus, paratus apud in-
feros ad diem vſque ſupremum iudicij
habitare, & diutius etiam, quam diu vi-
delicet Diuinæ Majeſtatis videretur ne-
ceſſarium.

Eni-

Enimuerò, præter hæc omnia mihi foret gratiſsimum, ſummæque voluptati, ſi ÿ omnes, quorum cauſſa iſta omnia exantlarem, ante me etiam in cælum admitterentur, ſicque mihi demum illuc clementer admiſſo ijdem vniuerſi congregati obiectarent, mihi ſe pro tormentis omnibus ſua cauſa perpeſſis nihil penitus debere.

Ex animo inſuper cupio pro omnibus abſque meo emolumento maximè hortenda quæque pati, vno CHRISTI CRVCIFIXI Domini mei æmulandi ſtudio, qui pro nobis tot & tanta in Paſſione potiſsimum ſuſtinuit, nulla vllius ſpe præmii, ſed vt duntaxat diſceremus secum nobis in benefaciendo alijs ſine remuneratione eſſe imitandum.

Sæpe numero ſeſe à congreſſu hominum ſubducens procurrebat acri amoris diuini ſtimulo incitatus, ſibique IESVM CHRISTVM amplexari, conſtringereq; viſus, amplectebatur arborem quampiam, vociferans, eumque ſumma voce nominibus diuerſis inclamans ingeminando identidem: O IESV dulcis! ô IESV ſuauis! ô IESV amantiſſime! ſicque incitatiſſimum amoris æſtum interni mitigabat.

B. Iacoponi vita Latinis vix fuit cognita. Italica lingua in Franciscanorum annalibus fuse describitur: ex ijs in Latinum idioma transtulit, quæ retuli, Matthæus Raderus in parte altera viridarij Sanctorum, lib. de contemptu sui cap. 3.

II.

AMATOR CRVCIFIXI

22\. *Crucem sensibus defigit, quæ necem cupiditatibus inferat.*

B. IACOPONVS *Tudertinus.*

ID quid sit, difficile est intelligere, sed exemplo patebit, quod in hac re dedit sane illustre laudatus antea B. *Iacoponus*, inter cuius dicta & industrias ad sensus Cruce transfigendos hæc etiam refertur.

Contra sensum gustatus tribus me obarmabam & defendebam telis.

Primum absinthij folia sumebam, mihique in mensa apponebam, & ijs vice salis vtebar; quod cur fieret, Fratres ignorabant Itaque quicquid esurus eram, absinthio super ponebam, tantum que ex eo amarorem sentiebam, vt nulla mihi libido esse posset gulæ indulgendi. Deinde, ex eodem absinthio pilulas conficiebam & deglutiebam, qua ratione nullum deside-

desiderium mihi relinquebatur appetēdi cibos palato blandientes: vsum porro huiusesculenti habere desij: quod stomachum perderet. Demum, si quando cum aliqua voluptate comedissem, postmodum corpus molesto aliquo labore & graui onere exercebam, premebamque. Propterea obsonijs delicatis mihi appositis ex corpore meo percunctabar, vtrum esse allubesceret? Tum verò id ijs facilè abstinebat, ne pænas plagasque postea deuorare cogeretur, quas illi ingerebam.

Tribus his gradibus vsurpatis iam in quarto consisto, in quo DEO gratias ago, quod gustatus omnia oblectamenta in DEVM conuerterim, ita vt nihil præter DEVM mihi sapiat. Hoc est practicè Crucem gustatui defigere, quæ necem gulæ inferat.

Alium modum idem docuit, perfectionis omnis virtutumque imitator CHRISTI CRVCIFIXI IACOPONVS. Quodam tempore gulæ præses Cacodæmon ingentem cupiditatem & orexim vescendæ bubulæ in eo excitarat, quid ille? vt tentatori imponeret, Crucem gulæ defigere dissimulanter hoc modo aggressus est. Bubu-

lam

lam vt indipiſceretur, operam dedit, licet carnium abſtinentiam continuam obſeruaret, illam nactus non comedit, ſed crudam in cella appendit. Quod vt tentator vidit, magis magiſque deſiderium edendi in eo accendit. Sed dolum Dæmonis dolo eludere volens, prandij hora appetēte, bubulam contemplabatur, & ore imminens etiam deoſculabatur. Quo facto, in triclinium cum alijs concedebat, vbi de more, pane & aqua genium, famemque placabat.

Hanc porrò rem ludum ue per multos continuans dies inſidiatori illudendo ægerrimè faciebat. Caro corrupta iam putiſcebat, fætebatque; quam graueolentiam, etſi ipſe æquiſſimis ferret naribus animoque, ea tamen ad cellas Fratrum ceterorum intoleranda differebatur. Indagare igitur ſodales, à quo tantus fætor proficiſceretur, magnà ad deprehendum adhibita diligentia. Appropinquantes demum Iacoponi conclaui, obſeruarunt inde ad alia dimanare: credere hic imprimis eum putidum quid ſenſus affligendi, vincendique gratia priuatim aſſeruare, quod cellam ingreſsi comperiunt.

Iacoponus tempori ſuperueniens, ipſis inſpectantibus carnem olfacit, & ceu

ceu rem odoratissimam basiatur. Ob quam rem à Præside grauiter fuit obiurgatus, ac pænæ loco, in fætentissimum habitaculum deiectus. Quam mulctam Amator CRVCIFIXI tam læto accepit animo, ac tanta habere cepit voluptate, quanta auarus quispiam Euclio locum thesauro vicinum accoleret. In hac vel sua velut aula multas DEO laudes, ingenti gaudio voce elata decantare instituit, eoque loco cantilenam illam composuit, cuius est initium: *O iubilum cordis, quod ex amore cantare cogit.*

Cùm in hunc modum caneret, delibutus lætitia incredibili, quod in loco naturæ domandæ accommodatissimo moraretur, vnoque DEI amore captus & occupatus, in ipso canendi ardore, CHRISTVS Dominus olim tam dira PASSVS ac CRVCIFIXVS, qui ad suos non prætermittit reuisere amicos quamuis in contemptis locis attineantur, & se contuendum præbuit verbis insuper amicis consolatus: Lacopone carissime, quandoquidem mei amore isthac iniuria nihil motus es, nec hanc odoris grauitatem horres, te, vt solarer, accessi, posce quod optas, & impetrabis.

Vbi Amator CRCIFIXI agnouit,

cum

eum quem vnicè amabat IESVM præsto esse, Domine, ait, hanc mihi fieri gratiam postulo, vt me in locum isto longè horribiliorem fætidioremque detrudas, vt in eo mea ritè possim expiare peccata, cum hunc parum grauem & molestum existimem. Ob tantæ demissionis responsum, tanta illum Dominus consolatione perfudit, quantam nunquam ante perceperat.

Ex Annalibus Franciscanorum Italicis, Interprete Matthæo Radero, in parte altera Viridarij cap. 3. de contemptu sui.

III.

AMATOR CRVCIFIXI

Crucis portatione, ostensione, adoratione hostes Crucis terret.

23. B. IOANNES *Capistranus.*

B. IOANNES CAPISTRANVS hinc laudem tulit. Is CRVCEM contra Turcas prædicauit, & cum CRVCIS vexillo pingitur exercitum Christianorum præcedens, non alia munitus lorica, ad defensionem, nec alio vtens ense ad offensionem inimicorum CRVCIFIXI. Quod expressit carmine Poëta recens, multa alia insinuans.

Hic

Hic Francifce tuus Miles, tua Signa per orbem
Nominis ingenti cum pietate tulit.
Nunc inter promachos fine telo tela repreßit,
Et CRVCE perculfit figna inimica CRVCIS.
Alea damnata eft flammis, talusque latroque,
Totaque chartarum plauftra cremata focis.
Si purgare iuuat monftris feralibus orbem,
Mitte Capiftranos: Cerberus ipfe tremet.

CAPISTRANVS fuit natione Italus, ex Aprutij oppido Capiftrano, vnde illi nomen. Duabus maximè rebus æuo fuo plerofque omnes mortales fuperaffe fcribitur, Doctrina excellenti: fuit enim Iuris omnis diuini ac humani confultiffimus: & Innocentia vitæ, cum admirabili ardore fidei, & amore erga CHRISTVM CRVCIFIXVM, ac eius imitandi ftudio coniuncta. Magiftro vitæ & difciplinæ vfus eft S. Bernardino, à quo, nil fcire, nec velle, nifi CHRISTVM, & hunc CRVCIFIXVM didicit

Quattuor Pontificibus fummis fuit gratiffimus, Martino V. Eugenio IV. Nicolao V. Callifto III, A duobus poftremis in Pannonias eft ablegatus, vt CRVCEM circumferret & præferret CRVCE fignatis, quod fecit animosè & cõftanter, Multa ab

illo ad miranda CRVCIFIXI virtute extra & supra ordinem naturæ patrata sunt quæ breui complexus est elogio Henricus Sedulius, eiusdem instituti vir doctus ac pius. Sic habet,

IOANNES Capistranus (quæ Marsorum ciuitas) est nobili genere natus: Perusiæ I. V. magno profectu studens, oborta seditione in carcerem iteratò coniectus fuit. Cùm hactenus vanè transegisset ætatem, tunc cælesti voce monitus ad Ordinem Seraphicum capiendum, duce Religionis frugalitate, quantum prius vanitatis & superbiæ fuerat exemplum, tantum posteà modestiæ, & humilitatis speculum euasit.

Continuis, ac penè quotidianis concionibus tota propemodum Europa annis quadraginta multos hæreticos, Hussitas, Iudæos, Saracenos ad pietatem induxit, sermones eius Domino confirmante sequentibus signis.

Turcas Albam regalem (quod Taurinum olim, nunc etiam Belgradum appellatum) in Hungaria, magnis copijs, & apparatu militum tentantes; contractis autem multis Germanorum, Hungarorum, Polonorum millibus, suo hortatu, consilio, ductu etiam (mirum!) sagitta cælitus demissa, & aureis his verbis inscripta:

inscripta: ESTO CONSTANS IOANNES! altari, cùm sacrificaret illapsa confirmatus profligauit, ostensoque prælato CRVCIFIXI salutari SIGNO militibus fortissimè pugnantibus, & dulci nomine IESV, ad exemplum S. Bernardini, cuius discipulus sectatorque fuit.

Mortuus est eodem anno partæ victoriæ CIↃ.CCCC.LVI. ætatis septuagenarius. Qui quamuis publicè inter DIVOS relatus non sit; tamen quia virus mortuusque multis miraculis coruscauit, Leo x. Pont. Max. diæcesi Capistrana cælestes honores illi habendos decreuit. Iure quidem: nam cui ascensus patet in cælum, quamuis maxima, debito tamen minora sunt, quæ tribuuntur in terris.. *Mortuus Anno 1456 ætatis. 70.*

De Capistrano scripserunt, Æneas Siluius in histor. Bohem. cap. 65. Idem in descriptione Europæ cap. 8. Bonfinius decade 3. rerum Hungar lib. 8 Henricus sedulius ad vitam S. Francisci, Aubertus Myræus M.CDLVI. Matthæus Raderus in Bauaria Sancta Tom. 1. p. 157.

IV.

AMATOR CRVCIFIXI

Cruce benedicendi ritum, quo mira patrat, tam familiarem habet, vt etiam post mortem non sine prodigio vsurpet.

24.

F. MATTHAEVS à Baßio, Primus Ord. Capus. Generalis. Mira Crucis signo patrat.]

F. MATTHAEVS à *Baßio*, qui primus FF. Capucinorum, DEO auctore, Sanctoque Francisco Fundatore, censetur, habeturque Putatiuus Pater, & primus Ordinis illius fuit Generalis, CRVCIS & CRVCIFIXI amantissimus, cùm viuus gurgitem, CRVCIS signo tantùm adhibito, nullo periculo pertransiuisset; CRVCIS Signo confractum poplitem; necnon mulierem diu ægrotantem curasset: CRVCIS Signo mercatorem acuta febre laborantem sanitati restituisset: CRVCIS Signo aquam maris dulcem reddidisset; post mortem, corpus illius secundo mense à funeratione, haud secus, quàm si vita adhuc frueretur, dextero brachio erecto, ac digitis in benedictionis formam

mam compositis, quasi adstantibus benedicerct, CRVCIFIXI in eos Signum edidit.

Flores Seraphici, Tomo 1. pag. 8. collecti ex Scriptoribus Ordinis, ex Chronic. Capuc. ex Annalib. Zachariæ Bouerij, ex Vitis & gestis Virorum illustrium Ordinis FF. Minorum S. Francisci Capucinorum, auctore F. Carolo de Arenberg.

V.

AMATOR CRVCIFIXI

Cruce trabali humeris impositâ, ad auertendam Crucifixi iram, populo pænitentiam, Ionæ instar, prædicat. 25.

F. VINCENTIVS *à Flauiano*, Ordinis S. Francisci Capucinorum vir opinione sanctitatis, & patratis admirandis illustris, orans aliquando, ingentem è cœlo tempestatem oriri, & ex ea sanguinem pluere, ac tellurem cruore madidam sanguineos riuulos effundere conspiciebat. Quo ostento DEI iram quibusdam Thusciæ populis imminere edoctus, diuino æstro agitatus, ac prophetico correptus spiritu, cùm facultatem à Guardiano accepisset,

F. VINCENTIVS *à Flauiano.*

Tempestas furibunda. sanguinea pluuia.

Iræ diui-næ index. pisset, expoliatus habitu, ac solis sibi lineis femoralibus relictis, grauem sibi CRVCEM in humeros imposuit alteraque se ipsum manu flagellans, hoc modo pleraque oppida integro die peragrauit, Ionæ instar, exclamans.

Ionæ Prophetæ prædicatio.

O Viri pænitentiam agite, citò enim veniet ira DEI. Vincentius igitur ætate grauis, cùm hoc modo ieiunus graui illo CRVCIS pondere, atque itinere fessus, sub meridiem inter montes iaceret, ac præcordis deliquio viribus deficeret, Beatam Cælorum Reginam sibi adesse conspicit, quæ panis bucella in ipsius os immissa, tantoperè illius vires animumque recreauit, vt reliquum diei iter eodem modo, immò validius expedire potuerit Obijt anno M.D.LXXIII.

Imitatio.

Defectus virium.

Refocillatio à B.V. M.

1573.

Flores Seraphici. Tom p.18

VI.

AMATOR CRVCIFIXI

26. *Signo Crucis vtitur & ad cicurandas bestias: & ad componendos fluctus: & ad soluendam tempestatem.*

F. FINCENTIVS à Flauiano.

F. VINCENCIVS à *Flauiano.* Sacerdos

dos Capuc. molossos canes vno impetu in se ruentes CRVCIS signo ijs obiecto, mansuetos & amicos reddebat. *Molossos mansue facit.*

Vmbronem fluuium transuadans, ingruente aquarum procella, quæ impetu ruebat, ac vadum præoccupare festinabat, CRVCIS illi signum obijciens, mox rapidi fluctus steterunt, & qui saxa, arboresque vi atque impetu suo secum rapiebant, tam diu immobiles perstiterunt, quo ad ipse fluuio traiecto aduersam ripam contingeret. *Procellam sedat.* *Fluctus cohibet.*

Flores Seraph. To. 1. p. 295. 296.

Fr. ANGELVS à S. *Martino*, eiusdem familiæ Religiosus, dum in sua S. Martini patria Verbum DEI in agro dissemina-ret, Satan ingentem cælo tempestatem excitabat, qua populum iam vndique ad Verbum DEI audiendum collectum à proposito exterreret. Animaduertit concionator, lumine diuino perfusus, Satanæ consilium, vniuersosque, qui iam fugam parabant, immotos, atque imperterritos stare iussit. Mox ad nubes conuersus, in eas CRVCIS signum vibrauit. Cuius virtute, illis, in quattuor partes, iuxta CRVCIS figuram, quam formauerat, dispersis, tota illa tempestas à Diabolo excitata dissoluta fuit. Obijt An. M. D. LXXXII. *F. ANGELVS à S. Martino.* *Tempestas à Dæmone concitata.* *Crucis signo dissoluta.* 1572.

Flores Seraph. To. 1. p. 233.

VII.

AMATOR CRVCIFIXI

ante Crucem, à Crucifixo lumen petit, ad statum vitæ firmum, secundum DEI voluntatem, eligendum & amplectendum.

27.

F. MARCELIVS Triflumi-nensis.

INTER Flores Seraphicos Ordinis S. Francisci Capucinorum nominatur F. MARCELLVS *Trifluminensis*, qui, cùm à puero virtutem coluisset, & ad adolescentiam per virtutis semitas peruenisset, nulla vsque ad id tempus à DEO vocatione dignatus, vt Ordinem aliquem religiosum ingrederetur, diuino planè consilio accidit, vt quodam Dominico die ad S. Michaëlis ædem, quæ Mediolani à Monialibus incolitur, vespertinas horas auditurus se conferret.

Occulta inspiratione ad templũ se conferti

Crucifixũ intuetur.

Quo tempore, dum in ligneam CHRISTI CRVCIIFXI statuam, quæ in Ecclesiæ tigno eminebat, oculos defigit, flamma ex ea erumpere est visa adolescenti, quæ cordis ipsius intima penetrans eum ad diuinam seruitutem impulit.

Flammam inde concipit.

Qua-

Quapropter cùm DEI vocationi sibi obtemperandum statuisset, illud Religiosorum institutum amplectendum sibi proposuit, qui difficiliorem ad Religionem aditum sibi præstarent. Hoc secum inito consilio, cùm ad quorundam Ordinum Religiosos accessisset, illique facilè Religionis sinum aperirent, tandem ad Capucinos accedens, ab ijs repulsam passus, eo se vocatum iudicauit. Quapropter cum per vnius anni spacium precibus ac lacrymis pulsasset, tandem in Nouitiorum numerum cooptatus, decimo nono suæ ætatis anno Religionis gremio est exceptus. *Deo vocanti obtemperat.* *Religionē Capuc. quare sit ingressus.*

Is iam perfectè Religiosus, ex iugi PASSIONIS DOMINICAE meditatione, ita Diuinæ caritatis flamma fuit accensus, vt tametsi omnium, in ægrorum tamen potissimùm obsequia se totum effunderet. Pauperum quoque Christi pauperis memor, ita miserijs afficiebatur, vt cùm iter faciens pauperculum quēdam lignorum fasce, tanquam CRVCE onustum offendisset, eo exonerato, lignorum aceruum humeris suis imposuerit, atque in destinatum vsque locum comportauerit. *AEgrorum curator sedulus.* *Pauperum ærumnis compatiens.*

Flores.1.2.p 250.

VIII.

AMATOR CRVCIFIXI *vibrat Crucis signum contra tempestatem imminentem.*

28.

F. MARCELLVS *Triflumi- nensis.*

MODOETIAE cùm horribilis in cælo nubium congressus, & spurcissima tempestas terris imminens conspiceretur, vt summum omnibus pauorem incuteret, MARCELLVS idem in hortum processit, vbi positis genibus postquam DEVM aliquantulum orasset, nubes quædam rubens ac ignea à ceteris auulsa, fulguris instar in eum impetum fecit, & cum Viro DEI proxima esset in aere consistens horribilem illi aspectum præferebat.

Tempestas nubifera.

At DEI Seruus nequaquam perterritus, in eam ter Signum CRVCIS vibrat; quæ velocissimo cursu ad ceteras nubes rediens ingentem in eis motum concitauit, & cum tertiò eas CRVCIS signo impetiuisset, nubibus dissolutis serenitas inducta est.

In serenitatem versa.

In Floribus Seraphicis p. 259.

IX.

AMATOR CRVCIFIXI

Crucis signo abeundi potestatem facit, aut in abitu benedicit tum hominibus, tum ammantibus ratione carentibus.

29.

F. MARCELLVS *Trifluminensis*, de quo antea, cum Luganensem lacum, piscatoris scapha traijceret, is ei piscem magnitudinis, visendæ dono dedit, quem Vir DEI manibus apprehensum contemplatus, libertate donatum in lacum coniecit, is verò, ac si rationis fuisset compos, in signum gratitudinis aquis supernatans, scapham nunquam deserebat, tanquam liberatori suo blandiens, donec ipse scapham egressus piscem signo CRVCIS benediceret: benedictione accepta, profundum petijt, quasi satis fecisset gratitudini. Sic DEVS aliquando per animantes rationis expertes quid valeat CRVCIS benedictio, quidque benefactoribus debeatur, erudit.

F. MARCELLVS *Triflumnensis.*

Piscis gratitudinis signum exhibens.

Signo Crucis benedicitur.

In Floribus seraphicis ib. p. 260.

X.

AMATOR CRVCIFIXI

Saluatoris in Cruce sitientis exemplo, sitim libenter perfert.

30.

F. MARIVS *Forosarzinius.* *Visitatio pedestris.*

F. MARIVS *à Forosarzinio*, FF. Capucinorum fuit Vicarius Generalis, vir CRVCIS amantissimus, & CHRISTI PASSI imitator singularis. Hic cum Siculam Prouinciam pedester aliquando cum socijs visitaret, sexta quadam feria PASSIONI DOMINI dicata, omnes longo itinere fatigati, acrioribusque Solis ardoribus penè consumpti æstuabant siti vehementissima: nihil verò socij, aut vini aut aquæ, quo sitim extinguerent, secumtulerant. At DEVS clementissimus, qui suorum in necessitate non obliuiscitur, ijs fontem aperuit cum salubri monito,

Inde fatigatio.

Apparitio Angeli, specio pueri.

Dum enim languidiores in via procedunt, cuiusdam velut pueri procul plangentis vocem audiunt, eoque Marius cum Socijs gressus dirigit, vnde fletus clamorem erumpere existimabat. Paullulum

cum

cum à via digresſi fuiſſent, puerum, quaſi ouium cuſtodem fonti inſidentem, ac plorantem conſpiciunt. A quo cùm cauſſam fletus quærerent, reſpondit: An non iuſta mihi eſt lacrymarum cauſſa, cùm hac die DEI Filium in CRVCE ſitientem, potumque aquæ ei denegatum reminiſcor, ego autem hic ſupra fontem ſedeam, qui tam abundè mihi aquas ſubminiſtrat? Quo dicto confeſtim ex eorum oculis euanuit. *Vtilis conſideratio pro itinerantibus Religioſis.*

Hæc Angeli è cælo delapſi haud duibiè vox fuit, qui ita ſitientibus fontis venam aperuit, vt Saluatoris in CRVCE ſitientis exemplum ad mentem reuocare voluerit, quo deinceps iucundius illius intuitu, ſitis moleſtiam ſuſtinerent. *Chriſtus ſitiens ſitientibus contemplandur.*

In Floribus Seraphicis in F. Mario. p. 5.

DECAS IV.

I.

AMATOR CRVCIFIXI

ad cuiuslibet morbi curationem Crucis ſignum adhibet.

31. F. HIERONYMVS à Monte Florum.

FECIT id ſæpiſsimè F. HIERONYMVS à Monte Florum FF. Capucinorum

norum Generalis Vic. inter primos, magnisq; à DEO cælestium donorum ornamentis decoratus.

Crucis signo Febrem abigit

I. Fratrem Hilarium Ameriensem, qui Messanæ in grauem febrem inciderat, ita vt Medicorum iudicio in certo mortis articulo constitutus esset, signo CRVCIS benedicens, è mortis faucibus eripuit, sanitate integra, vix post quartam horæ partem, restituta.

Moribundam sanat.

II. Puellam Petri Marcianensis Comitis propinquam extremo cum morte conflictu, extra sensus luctantem signo CRVCIS muniens, & sensibus, mox reddidit, & intra paucarum horarum tempus perfectam corporis valetudinem impetrauit.

Sanguineũ fluxum cohibet.

III. Eodem CRVCIS signo, dum in Romano Conuentu Procuratoris Generalis munus ageret, Fratrem cui vena perfracta, tam copiosum sanguinem effundebat, vt nullo remedio sisti valeret, à sanguinis profluuio liberauit, vena CRVCIFIXI virtute occlusa.

Languidum clinicum curat.

IV. A simili sanguinis profluuio Stephanum Tyracemensem CRVCI signo adhibito curauit.

V. In Romano nosocomio Frater quidã varijs languoribus correptus diu ægrotauerat, quibus adeò imbecillis euaserat, vt vix se à lecto dimouere posset. Ad hunc cũm Generalis Hieronymus accessisset:

quid hic tam diu iaces frater? dixit, additque, non te pudet tot annis ociosam in nosocomio vitam agere? Cumque illius capiti manum imposuisset, nonnullaque CRVCIS signa membris impressisset, confestim illum sanitati integræ restituit, ac præcepto cauit, ne alicui factum, dum illi vita comes esset, enunciaret.

Mortuum ad vitam vocat.

VI. Hominem defunctum CRVCIS signo muniens, eius virtute illum ad viuos reuocauit, vt traditur. F. IACOBVS à Forosarzinio eiusdem ordinis Generalis, multa patrauit istis similia.

F. IACOBVS à Forosarzinio.

I. Casparem Luxium Syluaniæ Gubernatorem vsque ad Medicorum desperationem ægrotantem sanauit, dum numisma benedictum atque indulgentia donatum illius collo appendens signo CRVCIS obsignauit. Vix enim ad Conuentum redierat, cum nuncius Gasparem à febri demissum renunciat.

Moribundum sanat

AEgroti cor ter Cruce signat.

II. Fr. Isaiam Sacerdotem Mediolanensem extremo cum morte agone colluctantem reperiens, cum iam deperditis sensibus, illum ad finem vitæ properantem cerneret, ter CRVCIS signo circa cordis regionem manu efformato abscessit. AEgrotus verò paullo post, velut è graui somno excitatus, apertisque oculis astantes fratres interpellans, ait, Quis ille est, qui ter in CRVCIS modum cor meum incidit.

Sanitati restituet

Tum

1584. Tum repentè morbo recedente conualescere cæpit, & breui perfectam valetudinem adeptus fuit.

Iidem. Qui gemina bis frequenter in aliorum eiusdem Religionis viris præclaris recensent: nominatim, *in Francisco Mediolanensi pag 39.*

II.

AMATOR CRVCIFIXI *vibrat Crucis signum in Dæmones tumultum concitantes.*

32.

F. SILVESTER Roscianensis. *Dæmon discordiarũ & rixarũ concitator Cruce fugatur.*

CVM Iniæ Capucinorum conuentus fundamenta ponerentur, ac solenni totius oppidi supplicatione CRVX in Monasterij signum, erigenda esset; Dæmon, cui res prorsus odiosa erat, rixam ob loci prærogatiuam inter ciues excitauit, iamque discordes ad mutuam se cædem parabant, cum

F. SILVESTER *Roscianensis* Concionator illius Ordinis egregius, Peniculo lustrali CRVCIS signum in Dæmones vibrat. Quo ijs in fugam conuersis, mox armorum strepitus fuit sedatus, pax inter ciues conciliata, sicque CRVX Dæmonum

mus-

turbulentorum victrix, & hominum dis- 1596.
sidentium pacificatrix erecta.

Ijdem in Flor. Seraphicis p. 44.

III.

AMATOR CRVCIFIXI

circa vitæ finem curat sibi prælegi Paßionem Domini, & in eius auditione ac consideratione Spiritum Creatori & Saluatori suo reddit. 33.

FELIX ille, cui ea sors obtingit, vti haud dubiè multis CRVCIFIXI Amatoribus, inter quos idcirco nomen habet in Ordine S. Francisci Capucinorum F. FRANCISCVS ab *Aquis Bormijs* Diuini Verbi Concionator excellens, cui tantus fuit ad animarum salutem caritatis ardor, tantus fidei tuendæ zelus, vt bis, terque in die vbi id necessitas ferret, Verbum DEI disseminaret, ac omnes corporis molestias flocci penderet.

F. FRANCISCVS ab Aquis Bormijs. Sæpius vno die concionatur.

Is, cùm ardentissima febre laborare cæpisset, & iam ad vitæ occasum properaret, rogatus num sacro oleo inungi vellet? omninò,

Morbo corripitur.

omninò, inquit, sed nondum tempus aduenit: cùm appropinquabit, opportunè monebo. Biduo autem elapso, cùm febris ardor deferuesceret, & iam spem vitæ longioris Physici conciperent, æger non diutius cunctandum ratus, Festina, ait, Pater, cui Prouinciæ onus imposuerat: en Dominus stat ad ostium & pulsat: currentem inunge, vt celerius Domino aperiam. Extremæ itaque Vnctionis Sacramento munitus, cum CHRISTI DOMINI PASSIONEM sibi legi poposcisset; vix ad ea verba peruentum, IESVS *autem exclamans voce magna emisit spiritum;* cùm suam quoque ipse animam magno virtutum apparatu stipatam D. O. M. reddidit.

Mortem suam prædicit.

1583.

Flor. Seraph. p. 77.

IV.

AMATOR CRVCIFIXI

Vocationem suam ad Religiosum statum amori in se Crucifixi, & virtuti Crucis adscribit.

DEVS autem honorat Crucifixum, & Crucem, non permittendo, vt vel ab ignaro lædatur. 34.

F. ANSELMVS à Petra Molaria fuit concionator illustris in Ordine S. Francisci Capucinorum. Hic in seculo inter celeres Equites conscriptus singulari prorsus modo à CRVCIFIXO Domino ad Religionem vocatus censetur. Res ita accidit.

F. ANSELMVS à Petra Molaria.

Dum hasta armatus obequitat cum suis commilitionibus in vrbe, animaduertit humo iacentem fasciculum quasi litterarum, quem dum summa hastæ cuspide cōfigere, & ad se trahere studet, is cuspidem effugit. Iterum Anselmus dum validiori ictu medium fasciculum perforare aggreditur, rursum se is saltu in alteram partem proripit. Stupet vir rei cælestis, & mysterij latentis ignarus. Itaque tertiò fasciculum inuadens, is non modò hastæ cædenti non cedit; verùm quasi hastam apprehendere vellet, altero saltu supra cuspidem se attollens tenaciter hastæ ligno adhæret.

Eques in seculo.

Fasciculũ litterarum cuspide transfigere frustra conatur.

Eques Anselmus rem supra modum admirans, hastam ad se cum fasciculo pertrahit: eum soluit, aperit, contemplatur: at nihil in ea reperit, nihil cernit, præter occlusam CHRISTI CRVCIFIXI æneam imagi-

In fasciculo Crucifixi effigies.

Videtur, colitur, adoratur. imaginem. Quapropter latentem in ea diuinam virtutem suspiciens, eam pedester colit, veneratur, adorat, Sacramque imaginem, quam DEI virtus à telo illæsam seruauerat, summa religione sibi repositam custodit. *In pretio habetur.* At nondum Anselmus, quid illa CRVCIFIXI imago portenderet, quòue illum vocaret, intelligebat, donec altero id apertius testimonio illi indicatum fuit hac ratione

Signum glande sclopi petendum. Contigit vt ad signum catapultæ glande attingendum à commilitonibus prouocaretur. Condicunt omnes, catapultas in scopum papyraceum, qui in ostio quodam procul apparebat, dirigere. Ignorabat Anselmus quid nam illud esset, quod socij pro signo catapulta attingendo, proposuerant. *Crucifixi imago.* Librant alij catapultas, ac certo oculo, fixaque manu ad scopum collineant; quem tamen glande attingere non valent.

Accedit Anselmus, catapultam ad emissionem componit, glandeque signum confodere parat. At igniarius catapultæ rhombulus ex pyrite ignem non elicit. *Non potest globo violari.* Bis, ter, ille sulphurati pulueris alueolum catapultarium abstergit, nouum puluerem apponit, catapultarij rhombi rostrum instruit, aptat, explodit. At frustra: nam igniarius puluis perinde, ac si petreus vel terreus esset, ignem planè refugit,

id

Id Anselmus non nisi Diuina virtute fieri agnoscens, signum quale sit explo- rat: mox pro signo CHRISTI CRVFIXI imaginem ostio affixam animad uertit: quam cum is confestim pronus in terram adorasset, Diuina se clementia impeditum agnoscit, quo minus tam ingens scelus, tametsi ignarus, patraret. Ex quo tandem in animo statuit sese ex seculi huius periculis subducere, ac militari cingulo abiecto ad meliorem CHRISTI à quo iam secundò vocari se putabat militiam accedere: hoc itaque consilio apud se firmato, Sacrum Ordinem est ingressus. In quo cum CRVCIFIXI gratia semper pugnauit egregiè.

Agnoscitur, suspicitur, honoratur.

Hinc vocatio in Milite ad Religionē.

NAM idem ille fidei zelo exæstuans, à Pio V, Pontif. Max. cum XXIX. Socijs missus ad triremes Christianorum contra Turcas, Apostolica benedictione munitus, CRVCE plus effecit quam gladio. Nam quilibet ex ijs suam aut ligneam aut æneam CHRISTI CRVCIFIXI Imaginem à Pontifice benedictam, atque indulgentia donatam secum portabat: plenarium indulgentiam ante pugnam omnes prædicabant. & CHRISTI CRVCIFIXI Imaginem efferentes, Christianos ad pugnam hortabantur, ad victoriam animabant.

Religiosus Cruce p'us efficit, quàm gladio.

1584.

In Floribus Seraphicis. p. 86.

V.

Amator Crvcifixi

55. *Crucifixi statuâ Cacodæmones ex vrbe pellit.*

F. CHERVBINVS *à Nucibus.* *Animositas Concionatoria.*

ID non posse fieri fortasse existimas. Audi quid factum fuerit. F. Chervbinvs *à Nucibus* Ecclesiastes in Ordine S. Francisci Capuc. celebris, cùm Andriæ, tempore quadragesimali prædicationi incumberet; illa Euangelij verba, quæ in tertia Dominica leguntur: *Erat* IESVS *eijciens Dæmonium*, pro concione edisserens; arrepta Crvcifixi statua, quæ à latere stabat, ea Dæmones, qui vrbem vexabant, aggressus, eos in Christi nomine ac potestate ex vrbe egredi compulit.

Dæmones Cruce adacti diffugiunt. *Litania B. V. M. pelluntur.* Qui ipsius imperio parentes, cum CRVCIFIXI potestati non posent resistere ad Monialium monasterium confugerunt, Monialesque varijs modis infestarunt. Quibus cum Bmæ Virginis Litanias indixisset, Dæmones protinus è Monasterio quoque expulit.

1592. *Flor. Seraph. pag. 93.*

VI.

AMATOR CRVCIFIXI

ad Paßionis Dominicæ cultum, peculiari campanæ pulsu feria VI. hebdomadæ populum excitat.

36.

FR. SEBASTIANVS *Argyrensis* Ordinis S. Francisci Capucinorum, ad Concionatorium munus à DEO vocatus, mirum planè, quàm feruido & Apostolico spiritu Euangelicum opus exantlaret. Quò fiebat vt nunquam absque spolijs opimis, atque ingenti animarum lucro à prædicatione rediret.

F. SEBASTIANVS *Argyrensis.* *Concionatoris zelus.*

PASSIONIS DOMINICAE cultu, ita afficiebatur, vt in die Parasceues concionem de ea ad octauam horam protraheret.

Horis octo concionatur de Passione.

Dum in Nettina vrbe Verbum DEI disseminaret, ita ciuium animos ad PASSIONIS CHRISTI venerationē accendit, vt eo auctore, vrbis decreto institutum fuerit, vt qualibet Veneris die, sub meridiem, qua hora CHRISTVS D. in CRVCE DEO Patri spiritū reddidit, publico omnium Vrbis campanarum sonitu signum

Ad Paßionis venerationem ciuitatem accendit.

Campanarum pulsu salutatur Crucifixus.

signum daretur, quo vnuersi admonerentur, genu flexo Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam, ad CHRISTI D. PASSIONEM ac MORTIS memoriam recolendam quinquies sibi persoluendam esse.

Angeli campanas pulsant.

Quàm verò pia huiusmodi institutio CRVCIFIXO sit grata, diuino paullo post miraculo confirmatum fuit. Cùm enim ceterarum Ecclesiarum campanis signum in meridie personantibus, sola S. CRVCIFIXI Ecclesia ob æditui absentiam à consueto signo abstineret, mox DEI virtute factum est, vt illius quoque Ecclesiæ campanæ, nullo, præterquam Angelo pulsante, signum ederent.

Vt honoretur Crucifixus.

Consuetudo adorandi Crucifixum in meridie.

Quæ res adeò Nettini populi erga DOMINICAE PASSIONIS cultum animos permouit, vt piam hanc sui Ecclesiastæ institutionem in hanc vsque diem integram esse voluerit.

Flores Seraphici p. 107. 108.

VII. A-

VII.

AMATOR CRVCIFIXI *tanti facit Crucis signationem, vt à malo etiam sacerdote, illam sibi fieri expetat.*

37.

HOc te doceat Sacerdos minimè malus F. PETRVS à *Murro*, Ordinis S. Francisci Capucinorum, qui Picentem Prouinciam aliquamdiu tanta prudentia, consilio, regularis obseruantiæ rigore, virtutum exemplis, ac sanctimoniæ laude administrauit, vt nihil in ea, quod ad optimum religiosi gregis Pastorem spectaret desideraretur. F. PETRVS à Murro. *Religiosæ vitæ cultor præclarus.*

Hic, cùm in Conuentu Vrbini Guardiani munus ageret, mulier quædam nobilis hydropisi laborans, CRVCIS signum instantissimè ab eo ad morbi curationem quærebat. Cui ille importunis mulieris precibus victus: Ego quidem Mulier, quo fungor Sacerdotis officio, CRVCIS signum exhibebo: tu, ne malum Sacerdotem consideres; sed plenam in DEVM fidem erige, qui potenti hoc CRVCIS signo incolumitatem conferre valet. *Humilitate insignis* *Vt malum Sacerdotē se æstimat.*

Ægram Crucis signo sanat.

Tum CRVCIS signo super ægram fo- mato abijt. Postridie illa incolumis è le- cto surgit, ad Capucinorum Ecclesiam confert, DEO & Petro DEI seruo gratia actura.

Vulnera Cruce signat.

Saucium curat.

IDEM, cùm prædicaturus per Mont S. Martini oppidum iter faceret, cuiusdam nobilis tot vulneribus saucij, vt illius Medicis salus iam desperata esset, cùm po orationem ter vulnera signo CRVCI obsignasset, statim morbo mitescente æger ad pristinam incolumitatem re dijt.

Flor. Seraph. p. 123.

X.

AMATOR CRVCIFIXI

38. *tempore belli ad canplandum iratum Numen, supplicationem lugubrem instituit, præcedente Crucifero Christum Crucis baiulatorem repræsentante.*

F. BERNARDINVS Auximensis.

CVM in Galliæ regno bellici tumul- tus ebullire cæpissent, tempore Hen- rici III. F. BERNARDINVS Auximensis,

FF. Ca-

FF. Capucinorum Prouincialis Vic. numeroso Fratrum agmine Parisijs conuocato, solemnem ex his ad publicam Regni quietem à Domino impetrandam, à Parisiensi Conuentu ad Carmitensem vsque, duodeuiginti leucarum Gallicarum spacio, supplicationem instituit. In qua F. ANGELVS IOSOAEVS, qui superiori anno è sublimiori Ducalis dignitatis gradu, ad Capucinos se contulerat, grauiori CRVCE onustus, ac spinea Corona redimitus; vtpote CHRISTI CRVCEM BAIVLANTIS personam referens, ceteros præcedebat. Res noua & pietatis plena populos summoperè commouit, & Regno fuit salutaris. *Supplicatio longa, pia, lugubris.* *F. ANGELVS Ioiosæus.* *Corona redimitus* *Cr..em baiulat.*

Flor. Seraph. p. 127. 1591.

IX.

AMATOR CRVCIFIXI

in Crucis amplexu spiritualiter deliciatur: & Cruce, vt mirandorum patratrice vtitur. 39.

HOc est, delicias experiri, CRVCEM habere & vocare suum delicium, nō desiderare delicias, alibi quā in CRVCE: delicijs *F. BARTHOLOMAEVS Cesenas.*

Deliciæ quærendæ Religioso in Cruce & Crucifixo. delicijs CRVCIS vnice delectari: oblectamenta carnis & sanguinis, præ delic... CRVCIS spernere.

Quod procul dubio fecit FR. BARTHOLOMAEVS *Cæsenas* Ordinis S. Francisci Capucinorum, cui orationis studium tam erat assiduum, vt præter diei horas quas post exoluta sui officij munera quotidie orationi dicabat, vniuersas noctis horas, tribus exceptis in orationem ac rerum diuinarum contemplationem insumeret. *Oratio nocturna & meditatio de Crucifixo.* In ea verò tanta interdum spiritus voluptate fruebatur, vt Fr. quidam, Franciscus nomine qui clam orantem obseruabat, illum tam diuino spiritu ebrium animaduerteret, vt vultu cælestibus flammis ardenti CRVCEM quandam, quæ in horto eminebat, amplexaretur: hæc que tantùm verba promentem audiret: *Sat est Domine sat est.* *In ea voluptas spiritus.* *Ebrietas spiritualis.* *Sat est Domine.*

Crux patratrix admirandorum. Nec CRVCEM tantùm vt delicium habuit, verùm etiam vt Virtutem mirandorum patratricem, quam vbique circumferebat, eaque liberaliter vtebatur.

Febrem abigit. Maceratæ Iacobæ Fornariæ nobilis Maceratensis nepotem signo Crucis à febre curauit.

Sterilem facit fæcundam. Mulierem Nouanensem hactenus sterilem signo CRVCIS fæcundam reddidit.

Bernar-

Bernardinam Pellicaniam Maceratensem à graui capitis dolore, quo diu laborauerat signo CRVCIS adhibito liberauit. *Dolores capitis pellit.*

Alteram oppidi S. Luciæ mulierem eodem capitis dolore correptam signo CRVCIS obsignatam sanauit.

Iosephum à Monte sancto, & Bonauenturam Marinensem Capucinos Sacerdotes sanguinis profluuio laborantes, fluxu CRVCIS signo exsiccato, mox ad incolumitatem perduxit. *Sanguinis profluuium cohibet.* 1592.

Flores Seraphici tom. 2. p. 133. 134.

IX.

AMATOR CRVCIFIXI.

ab vtero materno Crucem defert, & in, ac cum Crucifixi amore adolescit, iuuenescit, senescit, emoritur. 40.

QVOD contigisse haud ambigo Fr. BERNARDINO *à Collepetratio*, Ordinis S. Francisci Capucinorum, qui à primo natiuitatis suæ exordio, cùm stola in CRVCIS modum transuersa contectus è matris vtero apparuisset, quàm CHRISTI CRVX illi affinis & consanguinea futura *F. BERNARDINVS à Collepetratio. Stola Crucis instar cõformata.*

futura esset, quámque cælesti dono iam ab ipso ortu, ad illud Religionis genus DEO vocaretur, qui sub Patre CRVCIS signa gestante, CRVCIS filios colligeret, velut præsagio demonstratum fuit.

Religiosus votorum Clauis Crucifixus

Abstinētia admiranda.

Afflictatio corporis

NEC defuit officio sic vocatus. Siquidem Religionem ingressus, quam primum tribus votis, tanquam Clauis CRVCI adfixus CRVCIFIXVM ex primere fuit conatus. Ac primùm tanta carnem abstinentia macerauit, vt triginta annorum spacio, nullum, præterquam panis & aquæ cibum aut potum degustaret. Vmbriæ Prouinciam aspera, vt plurimum & lutosa hieme, peragrabat, nudis pedibus, abiectis etiam sandalijs niuem & glaciem premens. vnica contentus tunica, & sæpe lacera, membra frigoris rigore, cilicio, ac dira verberùm castigatione edomans. Aliquando, cum ad immoderatos libidinum æstus extinguendos, tum etiam ad DOMINICAE PASSIONIS dolores in se ipso excitandos

Nudus inter vepres.

inter vepres & dumeta nudum corpus volutabat. Quod sæpe illum factitasse perhibent.

Cruce armatus.

Magnus CRVCIS Amator fuit *Bernardi*

nardinus, potens verbo & opere, quia CRVCE semper armatus. Hieronymum Ameriensem à stomachi languore CRVCIS signo curauit. *Stomachū erigit.*

Mulier quædam à S. Geminiano graui cephalalgia tenebatur, quam cùm vir DEI, capite manibus compresso, signo CRVCIS consignasset, mox pulso dolore conualuit. *Capitis dolorem pellit.*

Victorio Montano Porcariensi, qui ad vitæ occasum Medicorum iudicio festinabat signo CRVCIS incolumitatem restituit. *Moribundum sanat* 1594.

Flores Seraphici tomo 2. p. 138. 141. 142.

DECAS V.

I.

AMATOR CRVCIFIXI *ante Sacrificium Missæ mentem Passionis Dominicæ meditatione inflammat.* 41.

FR. CHERVBINVS à *Quilliano*, cuius est celebre nomen in familia S. Francisci Capucinorum, ita ab exordio vitæ religiosæ Orationi animum adijciebat, vt eam vbique tam domi quàm *F. CHERVBINVS à Quilliano.*

foris sibi amicam concilians in ea suas spiritus delicias collocaret. Principiò autem non altas ac sublimes rerum Diuinarum contemplationes aggredi, sed DOMINICAE PASSIONIS meditatione contentus, columbæ instar, intra CHRISTI CRVCIFIXI Vulnera gemere solebat. Hinc eum, illo attrahente, qui in CRVCE exaltatus, omnia ad se ipsum traxit, ad illud diuinæ caritatis fastigium conscendit, vt ecstatica eum amoris vi complecteretur.

Meditator Paßionis aßiduus.

Sacrificium Missæ celebraturus mentem semper longa PASSIONIS DOMINICAE, ac Diuinæ caritatis meditatione inflammare consueuerat: quo fiebat, vt ferè nunquam absque lacrymis sacra illa mysteria perageret: in hisque interdum tanto internæ charitatis æstu flagraret, vt cum se ad populum conuerteret illis verbis, Dominus vobiscum salutaturus, ignei ac splendentes radij ex ipsius ore emicarent.

Lacrymans sacrum dicit.

CRVCIS signo vsus multis salutem attulit.

Crucis signo.

1\. Bartholomæus Nulanus Saltatorius magister è præcipiti quodam loco ruens humerum sibi ex lapsu confregerat; qui cùm Cherubino familiæ angustias, quas ob

Humerum confractũ consolidat.

ob suam ægritudinem patiebatur, tristis aperuisset;is vbi oculis in cælum sublatis DEVM paullisper orauit, confractum humerum GRVCIS signo obsignans, ait: Bartholomæe,æquo animo esto,ac DEO confide:quàm primum è lecto incolumis surges. Cùmque his dictis abscessisset, vix Benedictus domus fores egressus fuerat, cum Bartholomæus humero consolidato, ac pristinæ incolumitati restitutus è strato exilijt.

Petrus Ressonus Tirolensis graui in gena cancro laborans, morbi sui ærumnam grauiter deflebat. Cherubinus superueniens,vt plorantem vidit,miseratione commotus,quibus gena alligabatur solutis,genam signo CRVCIS petens,cancrum tribus digitis apprehensum,absque vllo ægri dolore radicitus à gena auulsit,atque eidem tradens,iussit, vt B. Virgini gratias ageret,ob sanitatem recuperatam. 2. *Cancrum è genâ auellit.*

Theodorina Gandulsa Sextensis, tam graui oculorum dolore cruciabatur, vt nulla diu noctisque quiete frui posset. Et cum Vir DEI signum CRVCIS impendisset,protinus omnis dolor fugatus est. 3. *Oculorum cruciatum abigit.*

Maria Sextensis, quæ ob pituitæ fluxum,aliquot annis obcæcata fuerat,postulata benedictione ab eodem, cum is signum CRVCIS oculis impressisset,& quin- 4. *Oculorum lumen restituit.*

quies orationem Dominicam & Salutatio-
nem Angelicam recitandam ante altare
SS. Eucharistiæ iniunxisset ijs peractis, o-
culorum lumen ei restituit.

5. *Rursus idē*

Eodem CRVCIS signo Theodoram
Quillionensem, quæ tā infirma erat ocu-
lorum valetudine, vt domestica negotia
agere non posset: & aliam quandam Ma-
riam eodem morbo laborantem sanauit.

6. *Denuo idipsum.*

Cataneus de Marinis nobilis Genuensis
septuagerinario maior, desperata á Medi-
cis valetudine ægrotabat. Quo tempore
ad eum accedens Cherubinus, cum illum
CRVCIS signo munijsset, futuram illius
incolumitatem significauit, quæ magna
Medicorum omnium admiratione sub-
sequuta fuit.

7. *Moribundo incolumitatem prædicit, & adfert, 1612.*

Flores Seraphici p. 168. & seq.

II.

AMATOR CRVCIFIXI *mouetur ad lacrymas ex colloquio, & inter loquendum de Passione Domini.*

42. F. HIERONYMVS Nouariēsis

FVIT id familiare Fr. HIERONYMO *Nouariensi*, qui ætate prouectus ac moti-

ac moribus grauis institutum S. Francisci Capucinorum est amplexus. Is DOMINICAE PASSIONIS meditationem, velut præcipuam ac familiarem sibi adsciuerat: in qua cum diu noctuque versaretur, eam tot lacrymarum imbribus aspergebat, vt vix de illa cum alijs colloqui posset, quin in lacrymosos sese gemitus effunderet.

Meditatio Paßionis lacrymarū fons.

Ex hac assidua PASSIONIS DOMINICAE memoria Hieronymus tantam erga Diuinissimum Altaris Mysterium, quod viuum & incruentum est Sacrificium, cruenti in CRVCE SACRIFICII simulachrum animo venerationem hauserat, vt nunquam nisi post prolixam orationem, ac diuturni temporis præparationem ad illud accederet.

Preparatio ad Eucharistiam deuotè recipiendam.

In eo autem ex diuinæ charitatis contemplatione tam cælesti & copiosa suauitate perfundebatur, vt ea quoque in alios redundaret. 1582.

Flores Seraphici 192. 10, 2.

III.

AMATOR CRVCIFIXI

orat Crucifixum, vt dignetur liberare se supplicem ab onere Crucis dignitatum, & huius mortalitatis, idq; aliquo die Cruci Dominicæ dicata.

34.

F. BASILIVS *Syracusanus.* *Dignitas est Religioso Crux.*

AN non suspicari licet id fecisse Fr. BASILIVM *Syracusanum*, qui in Religionis Seraphicæ Capucinorum admissus sinum, virtutum omnium laude ita floruit, vt inter præstantiores suæ prouinciæ Viros haud immeritò censeretur. Humilitate autem ita resplenduit, vt cùm oblatos Guardianatus honores recusaret, aliquando tamen Manfredoniæ Guardianus à Patribus electus, oneri quidem, tanquam CRVCI suæ, cùm obedientissimus etiam esset, humeros supposuit, sed cum illud inuitus suscepisset, DEVM precatus est, vt ipsum citius à CRVCE dignitatis liberaret.

Prædictio mortis.

DEVS autem Serui sui orationem haud irritam esse voluit. Nam paullò post eidem

dem inter orandum apparens, proximum in die S. CRVCIS obitum prænunciat. Quem ille his aliquando verbis Fratribus præsignificauit: Patres indignum atque inuitum me ad hanc honoris sarcinam rapuerunt: verùm DEI Maiestas, quæ impares humeros, ac spiritus imbecllitatem non ignorat volocius me ab hoc onere liberaturus est: Dies enim Inuentionis S. CRVCIS, qui proximus est, hinc ereptum, atque ab hac CRVCE dimissum, meo me principio reddet. Nec Diuina eum reuelatio fefellit: cùm enim Kalendis Maij leui quadam febri correptus fuisset, ipsa quam præsignauerat, S. CRVCIS die, præter omnium expectationem diuinis Sacramentis expiatus, lætus ex hac luce migrauit, Anno M.D.LXXXII.

In diem Inuentionis S. Crucis.

1582.

Flores Seraphici tom. 2. p. 198.

IV.

AMATOR CRVCIFIXI

in penuria rerum necessariarum ad Crucifixi Imaginem confugit.

44.

ITA solent, qui Mundo Crucifixi sunt Religiosi, quibus in necessitatibus om-

nibus vnicum est asylum CRVX & CRVCIFIXVS. Exemplo sit, vt omittantur infinita alia, F. PACIFICVS à *Sestino* ordinis sacri Capucinorum, de quo hoc refertur. Cum aliquando in Camerini conuentu, quem tunc ipse moderabatur, nihil præter pauca quædam legumina, ac bini panes Fratribus ad vescendum superessent, (copiosa autem viginti & amplius Fratrum tunc familia erat.) tamque alta nix è cælo cecidisset, vt omnes ad mendicationem vias obstrueret, ita in opiæ domesticæ fuit subuentum.

Summa egestas.

Dum mensæ accumbunt Fratres, en Peregrinus ad Monasterij fores aduentat: panem postulat, quo iam se triduo caruisse adfirmat. Re ad Pacificum delata, propriam leguminum pultem, cui geminas panis buccellas intinxerat ad peregrinum mittit. Tum vniuersos Fratres ad Ecclesiam compellit, vbi ante CHRISTI CRVCIFIXI Imaginem quinquies Orationem Dominicam cum Angelica Salutatione persoluant.

Vix Orationem complerant, cùm fæmina quædam ter in somnis cælesti voce admonita tintinnabulum pulsat, geminasque grandiores placentas ianitori offert, Cùm verò is studiosius ex ea quæ-

Benignitas in egenum

teret, quo pacto, tam horrida tempestate, & tam alta niue, eo cum placentis appulisset, subridens illa; Certè, Pater, inquit, vt verum fatear, num niuem vestigio meo presserim, an potius Angelica manu suffulta huc perducta fuerim ignoro: tam lenis enim esse videbar, vt vix niuem attigerim.

Simile contigit Camerini, vbi in summa egestate, postquam Pacificus quinquies Orationem Dominicam cum Salutatione Angelica recitandam indixisset, mensæ accubuere Fratres: & ecce auditur tintinnabuli sonitus, accurrit ianitor, aperit, videt amplum canistrum xxii. panibus crassioribus ac recentibus refertum, iuxta fratrum numerum, nullo, præterquam cælesti ac inuisibili latore annonam deportante. *Submittit annonam.*

Flores Seraphici, tomo 2. p. 204. Geminum planè recensetur p. 209. 184.

V. AMA-

V.

AMATOR CRVCIFIXI

nullum non genus austeritatis assumit, sibiq; facile reddit, Passionis Dominicæ, & Crucis meditatione.

45.

F. CYPRIANVS à *Monte Coruino.*

ID fieri posse, CRVCIFIXI, Domino auxiliante, exemplo ostēdit, post multos alios, F. CYPRIANVS, *à Monte Coruino*, qui in ipso iuuentutis flore ad Capucinos euolans, nullum tam durum asperitatis genus, nullam tam asperam vitæ austeritatem aut carnis mortificationem proponi audiuit, aut legit, quam ad CHRISTI PASSIONEM imitandam auidissimè non captaret.

Ieiuniũ austerissimum.

Memor CHRISTI famem sitimque patientis, cùm totum ferè anni tempus quotidiana inedia, præstituta sibi lege absumeret. Quadragesimam tamen Christi ieiunio consecratam, ac PASSIONIS præambulum, sola fabarum esca, Dominicis tantùm diebus exceptis, quibus tamen solum pane & aqua vescebatur, celebrare consueuerat. Præter hoc illi quasi legitimum

mum sempiternum fuit, qualibet sexta anni feria CHRISTI PASSIONI dicata fabarum pugillum ad victum adhibere.

Durissimum quoque CRVCIS lectulũ, in quo Dominus moriens decubuit animo reuoluens: quamquã somno parcissimo vteretur, eum tamen, quem tanquam vitæ necessarium sibi negare haud poterat, duabus tantum stratis tabulis, aut sedens, aut genu flexus, potius irritare, quam sibi conciliare videbatur.

Somnus permodicus.

1584.

Flores Seraphici tom, 2. 208.

VI.

AMATOR CRVCIFIXI

quinque horis solidis de Paßione Domini concionatur; ac deinde non nisi pane & aqua corpus exhaustum reficit.

46.

INCREDIBILE videtur: non est; quamuis de vno tantùm id legerim. Is fuit F. ALBERTVS *Bergomas*; Prouinciæ Mediolanensis apud PP. Capucinos Concionator, vir Apostolico spiritu imbutus, & miræ seueritatis in se; adeò, vt cum verbum

F. ALBERTVS Bergonias.

Concionator seruerè ieiunans.

bum DEI dissemin aret, nihil post concionem, præterquam panem & aquam, quæ sibi mendicatione parabat, ad cibum adhiberet, pleraque etiam quadragesimalia ieiunia, dum prædicabat, solo pane & vino, leguminibus tantum additis, celebraret.

Conuiniū panis & aqua. In die Parasceues cum in oppido Mariani per quinque horarum spacia, in publica oppidi platea (neque enim præ multitudine Ecclesia populum capere poterat) de PASSIONE DOMINI verba fecisset, concione absoluta in aliud oppidum, quod quarto inde milliari distat, se contulit; vbi nouo de PASSIONE DOMINI sermone, per totidem horas instituto, hinc Marianianum ad conuentum redijt; soloque pane & aqua senile corpus, post tot labores refocillauit. Hæc huius Viri læta post prædicationem conuiuia erant. Eam quoque in prædicando secum rationem inierat, vt nunquam ad prædicationem accederet, quin vnius saltem horæ oratio ad DEVM effusa præcurreret, Quare haud mirum quod ipsius prædicatio oratione & ieiunio stipata vitia perimeret, Dæmonesque ex hominum animis deturbaret.

Horaria precatio ante Concionem.

1581.

Flores Seraphici pag. 212, tomo 2.

VII. AMA-

VII.

AMATOR CRVCIFIXI

spiritualiter gustat, masticat, comedit Spinas, quibus coronatus fuit in Passione Christus, loco fructuum palato sapidissimorum.

F.ISAIAS. *Mediolanensis.*

FR. ISAIAS *Mediolanensis*, Capucinus Nouitiorum Magister, tyrones sibi commissos docebat sacris DOMINICAE PASSIONIS Mysterijs sedula meditatione vacare. Accidit autē, vt cùm cuiusdam nouitij pater, qui filij visendi gratia ad Conuentum accesserat ab Isaia communi Fratrum, ac nouitiorum mensa exceptus esset, & is diligentius in filium comedentem oculos conijciens, videretur cernere, SPINAS illum, cibi loco manducare. Quod cum maximè admiraretur, simul etiam ægrè ferret, refectione absoluta, percunctatus fuit ad Isaia.

Nouitius spinas videtur comedere.

Cur reliquis nouitijs panis ac familiares cibi, suo tantum filio spinæ, quibus vesceretur, pro cibis appositæ fuissent?

fuiſſent? Cui Iſaias: Quid is, bone vir? fal-leris profectò: non ſpinas, ſed communes cùm alijs cibos filius tuus accepit, ac comedit. Cùmque accitum Nouitium Iſaias diligentius de cibo interrogaſſet, eadem quoque & ille Patri reſpondit. Cui pater admirans: At ego (inquit) te ſpinas comedentem vidi

Quia meditatur in triclinio de ſpinea corona Crucifixi.

Porrò Iſaias, Diuini hic nonnihil latere animaduertens, à Nouitio ſciſcitatur; quidnam inter edendum mente reuoluerit? Cui ille: toto, ait, refectionis tempore, illud Saluatoris Noſtri myſterium, quo is in PASSIONE ſua ſpinis coronatus fuit, ita animo inhæſit vt in eo meditãdo, totã refectionem conſumpſerim. Tunc parenti Iſaias: En quales SPINAE ſunt, quibus filium tuum veſcentem vidiſti, quibus mens, non corpus veſcebatur. Tibi mentis illius potius, quæ melior fuit, quam ventris refectio, DEO tecum benignè agente, oſtenſa eſt.

Flores Seraphici p. 222.

VIII.
AMATOR CRVCIFIXI

Paßionis Dominicæ intensißimâ consideratione, dolores corporis, à chirurgo illatos mitigat, immò, ut non sentiantur, efficit. 48.

EST hæc virtus contemplationis Diuinæ, quæ rapit mentem, & corpus aliquando reddit insensibile. Certè, plurimum ad id confert. Celebratur in ordine PP. Capucinorum, Fr. MICHAEL *à Deniâ*, qui orationem tanto studio complexus fuit, vt vix ab illa auelli posset: potissimùm verò in Dominicæ Passionis memoriam mentis aciem intendebat. Illi ægrotanti, cùm vena ad sanguinis emissionem incideretur, Chirurgus ita eum est alloquutur: O Michael, quanto putas caritatis æstu feruebat illa Sanguinis vnda, quæ ex Redemptoris Nostri VVLNERIBVS scaturiebat. Vix hæc chirurgus pio animi sensu protulerat, cùm *Michael*, mentis excessum præsentiens vniuersos egredi iubet; ac diu extra

F. MICHAEL *à Deniâ.*

Paßionis intentißißima meditatio.

Ecstasin causat.

1589.

extra ſenſus raptus diuina VVlnerum Domini contemplatione eſt fruitus.

Flores Seraphici tom. 2 p. 128.

IX.

AMATOR CRVCIFIXI

49. *Paſsionis Dominicæ, & vulnerum Crucifixi conſideratione aſſiduâ, fontem lacrymarum ex oculis ſuis efficit.*

F. HILARION *Vibonenſis.*

INTER viros pietate illuſtres Ordinis S. Franciſci Capucinorum nominatur Fr. HILARION *Vibonenſis*, qui ex continua VVLNERVM DOMINI PASSI memoria, tam perennem ſibi lacrymarum fontem comparauerat, vt oculis illi ex fletu caligantibus (quod olim B. Franciſco accidiſſe hiſtoria compertum eſt) eorum fermè lumine careret. At ille corporeorum luminum iacturam parui pendens, quin etiam lucrum reputans, ea in Domini pro ſe tam dira Paſsi profudiſſe, exultabat. Id verò tantum la-

C ligans oculis alibi.

gere videbatur, quod ſacra Altaris Myſteria, ad quæ maxima religione ferebatur iam peragere non valeret.

Qua propter ad ſacræ Deiparæ, quam præcipua veneratione proſequebatur, Patrocinium confugiens, id ipſius ſuffragio aſſequutus fuit, vt eo tempore duntaxat, quo ſacris myſterijs vacaret claro oculorum lumine frueretur. Quid factum? Quod obſtupeſcat meritò mortalium infirmitas. Is qui nec homines, nec ipſos Eccleſiæ parietes diſcernere poterat, quam primum ad Altare accedebat, tam perſpicue litterarum apices diſtinguebat, & vniuerſa, quæ ad Miſſæ ſacrificium ſpectant, intuebatur, vt ne quidem perſpicilijs ad videndum indigeret. Mox verò vt ſacra peregerat, oculi iterum caligabant, & ad priores tenebras redibant.

Ad altare ſacrificans videt diſtinctè.

Flores Seraphici tom. 2. 269. 270. 1605.

X. AMA-

X.

AMATOR CRVCIFIXI

in vitæ fine Crucifixum ante se positum ignitis orationum
50. *iaculis, & lacrymis vulneratur.*

F.BENEDICTVS *Canfeldensis. Anglus. Parat se ad mortē.*

FECERVNT hoc multi Amatores CRVCIFIXI, sed ab eo maximè celebratur in PP. Capucinorum historia Fr. BENEDICTVS *Canfeldensis* Anglus, qui post vitam seuerissimè in Ordine peractam, extremum vitæ occasum sibi imminere diuina reuelatione cùm accepisset, Parisijs in morbum incidit. Quo tempore ante omnia à peccatorum sordibus Sacramento expiatus, ac Sacro Christi Corpore saginatus dulcia cum Dilecto cæpit miscere colloquia, quibus ita se iugiter occupatum præferebat, vt vix in aliud animum intenderet.

Crucifixi aspectu, Colloquio lacrymis.

Denique, CHRISTI CRVCIFIXI Imaginem cùm sibi in extrema lectuli parte collocari iussisset, in eam oculos intendens perpetuò, lacrymarumque ex his imbres

imbres fundens, Dilectum ignitis orationum iaculis vulnerabat. Fratribus autem circumfusis mandabat, vt nihil ipsi, præter IESVM & MARIAM loquerentur; cumque animum totum ad Diuina collegisset, quodam ex Fratribus dicente: diem illum Beatissimæ Virginis Præsentationi sacrum esse: O Beata Virgo, exclamans, DEO paullò post spiritum reddidit. 1621.

Flores Seraphici 290. tomo 2. Iacobus Brossius libello Gallico de vita eiusdem.

DECAS VI.

I.

AMATOR CRVCIFIXI

Crucifixi aspectu, tanquam vinculis, ligatur, ne corporis membra in cruciatu erumpant in actus impatientiæ. 51.

ISTIVS praxeos præclarum dedit exemplum Fr. IOSEPHVS *à Leonissa* Capucinus, qui cum colico dolore, ac varijs corporis ægritudinibus sæpè premeretur, tanta patientiæ virtute omnes tolerabat, vt que

F. IOSEPHVS *à Leonissa.* *Colicus dolor.*

vt querulas nunquam voces depromere auditus fuerit, Id præſertim in graui carcinomatis morbo, quo circa finem vitæ in genitalibus partibus laborauit, perſpectum fuit.

Carcinoma

Incisiones chirurgicæ

Hunc ille morbum cùm ab exordio, ob ſolam honeſtatem ac pudicitiæ cauſſam curari noluiſſet, eo tamen ingraueſcente, ſi quando carnis inciſiones à chirurgo adhibendæ eſſent, tam admirabili in his tolerandis patientiæ vi præcelluit, vt cùm de illo vinciendo à chirurgo ageretur, is CHRISTI CRVCIFIXI imaginem manu arreptam oſtendens diceret: Quid alijs vinculis opus eſt? hæc mea ſunt VINCVLA: Hic me fortius, quam ferreæ catenæ ſuis caritatis nexibus conſtringit. Neque alia in grauiſſimis illis carnis inci-
1612. ſuris illius vox audiebatur, præterquam: S. MARIA ſuccurre miſeris, iuua puſillanimes,

Flores Seraphici tomo 2 p. 302.

II. A-

II.

AMATOR CRVCIFIXI

cum Cruce ad montem populum ducit, & ibi plantatâ Cruce, eum ad amorem Crucifixi inflammat. 52.

F. IOSEPHUS à *Leonissa.* *Concionator indefessus.*

FR. IOSEPHVS *à Leonissa* paullò ante laudatus ita animarum lucra inhiabat; vt nullum vnquam Verbi disseminandi finem faceret. Haud illi vnum aut alterum in die Sermonem ad populum habuisse sat erat, sed vicos & castella im probissimo labore peragrans; sæpe ad sextum & septimum pertingebat. In his verò tam incredibili spiritus ardore agebatur, vt facilè quisque animaduerteret, non humanum, sed Diuinum in eò spiritum proloqui. Quo fiebat, vt audientium animos nullo negocio ad pænitentiam & lacrymas compelleret.

Cruces erigit. Defert humeris.

Moris autem illi fuit ad CRVCIS Dominicæ memoriam in populo PASSIONIS præsertim tempore excitandam, CRVCES præaltas in montibus erigere,

quas humeris suis deferens, eò conuenientes turbas ad CRVCIS venerationem, & DOMINICAE PASSIONIS memoriam sermone prouocabat.

Flores Seraphici tomo 2. 310.

III.

AMATOR CRVCIFIXI

plorantes ob filiorum, aliorumq; sibi carorum mortem, ad lacrymas pro Christo Passo fundendas excitat.

53.

F. IOSEPHVS à *Leonissa.*

Flet cum flente vidua.

ID quoque fecit nominatus antea Religiosus IOSEPHVS *à Leonissá.* Cùm enim vnicus Viduæ cuiusdem filius ab inimicis trucidatus fuisset, & corpus exanime in lecto iaceret, is Viduam consolaturus adiit. Quæ cùm nullam prorsus consolationis vocem admitteret; omnibus consolationis verbis prætermissis, Iosephus cum illa protinus extinctum filium lugere, & eiulantem caritatis fletu prosequi cæpit.

Crucifixum flendum dedit

Hoc verò cùm aliquamdiu mæstæ matri solatium exhibuisset, tandem CHRISTI CRVCIFIXI æream imaginem

nem exerens, his eam verbis fuit alloqutus, Si extinctum filium tuum, O mulier, qui vnicus tibi erat, tot hactenus lacrymis deplorauimus; an non æquum est, vt Vnigenitum hunc DEI & MARIAE Virginis Filium, qui crudelissimè olim à Iudæis necatus est, hunc, inquam, amantissimum ac dulcissimum animarum nostrarum Patrem ac Redemptorem, qui pro nobis vitam cum sanguine fudit, simul cum Virgine Matre, si non amplioribus, saltem æquis lacrymis prosequamur? Totque DOMINI MORTEM, ac PASSIONEM verbis illi inculcat, vt extincti Filij lacrymis in meliores commutatis, vnà DOMINI MORTEM acerbissimam vehementius deplorare cæperint.

Flores Seraphici tomo 2. 310.

IV.

AMATOR CRVCIFIXI

commemoratione Passionis Dominicæ, ac Matris, & Filij, suis Crucifixoribus ignoscentis, interfectoribus suorum carorum veniam impetrat. 54

F. IOSEPHVS à Leonissa.

APPENDIX est superioris. Idem enim Apostolicus Concionator, occasione captata: MATRIS DOLOROSAE exemplo, quæ Iudæos Filij sui interfectores ex animo diligebat, Viduam cuius vnicus filius ab inimicis crudeliter mactatus fuerat, ad pacem cum interfectoribus conciliandam efficaciter prouocauit, & tam ad persuadendum de CHRISTO PASSO, CRVCIFIXO, & inimicis condonante libenter scelus enormissimum dixit appositè, vt etiamnum filij cadauere insepulto, ab ea facilè, quod voluit, impetrarit.

Flores Seraphici, Tom, 2. 310.

V.

AMATOR CRVCIFIXI

Crucifixi figuram æneam, aut ligneam secum fert, & opportunè ostendit, ad animorum motus vehementes concitandos, aut Dæmones, morbosq́ pellendos.

55.

F. IOSEPHVS à Leonissa.

FVIT hoc in vsu multis CRVCIFIXI Amatoribus, & feliciter cessit frequentissimè.

I. Anno

I. Anno M. DC. X. cùm Venafri Princeps diuturna ægritudine detineretur, IOSEPHVM à Leonissa, sæpius nominatum Romam aduocandum curauit: cuius præsentiam nacta, cum se plurimum illius orationi commendasset, vbi illam *Iosephus* pijs verbis est consolatus, æream CHRISTI CRVCIFIXI imaginem protulit, & osculandam obtulit ægræ. Quo factum vt simul cum CRVCIFIXI osculo integram incolumitatem consequuta fuerit.

Crucifixi osculum sanat ægram.

II. Cùm *Iosephus* Leonissæ Conuentum repeteret, in templo vicino vidit segetes à duobus bobus triturari: indignatus, boum dominam increpauit acriter, & vltionem Diuinæ iustitiæ minatus fuit. Mulier excusationem adferens culpæ, ob imminentes pluuias id se facere coactam respondit. At Iosephus magis zelo domus DEI inflammatus: quid sit futurum, inquit, videbitis; sicque cum Socio discessit. Eo digresso è bobus alter ante aram DEIPARAE corruit, Quocirca trituratrix Iosephum insequitur, flet, rogat, obtestatur, vt iumento vitam restituat. renuit *Iosephus*, instat mulier, donec ille misericordia motus pauperculæ, regreditur: sed bouem iam pelle denudatum extra templum inuenit

Trituratio in templo damnosa.

Bos virtute Crucis reuiuiſcit.

Tunc *Ioſephus*, non ne hæc præuidi? nonne ſignificaui? Nihilominus iuxta bouem flexis genibus ſe inclinauit, & poſt illum aſtantes, quibus vt Orationem Dominicam & ſalutationem Angelicam deuotè proferrent, imponens, manu, ac CRVCE, quam ſecum geſtabat, mortuum bouem conſignauit: qui iuſſus ſtatim reſurgere, illico reſurgendo ſtetit, & ſupra decem annos incolumis vitam traduxit.

At vir DEI, circumſtantes, vt deinceps templa & ſacra loca, quæ ſupremæ Maieſtatis domicilia non beſtiarum receptacula ſunt, colere & venerari diſcerent, admonuit.

Signo Crucis ſpaſmũ aufert.

III. *Armellina Palla* glande catapultaria, qua alter illi pes caſu perfoſſus fuerat grauiter ſauciata, ſpaſmo ſuperueniente, certo in vitæ diſcrimine verſabatur. Quo tempore ad eam accedens Ioſephus, cum primum cubiculum ingreſſus eſt: Armillima, inquit, tuo tibi imprimis vulneratori ignoſcendum, & pax cum eo ineunda. Tunc vulnus aperiri iubet, poſtquam illa dixiſſet, ignoſco, & pacem DEI cauſſa dare non abnuo: deinde, breui ad DEVM oratione facta, vulnus CRVCIS ſigno petit, ſtatimq; ſpaſmus abſceſcit. Cumque veſper incumberet Vir DEI abſcedens ægram integræ ſalutis ſpe conſolatur. Nec fefel-

fefellit: nam ægra post placitam quietem mane curatum vulnus reperit, tam perfectè, ac si nunquam saucia fuisset. •92

Eodem S. CRVCIS signo cum Ioannem Iosephum Petranium ad Medicorum desperationem ægrotantem prosequutus fuisset, statim incolumem reddidit. Denique, ipse in extremis constitutus, sua illa CRVCIFIXI imagine, omnibus, iubente Guardiano, benedixit, & Diuini amoris amplexibus inhærens expirauit. *Desperatè ægrum curat.*

Flores Seraphici tom. 2. 326.

VI.

AMATOR CRVCIFIXI

peculiari deuotionis affectu fertur in Flagellationem Christi Passi, eamq́ue quantum permittit corporis imbecillitas, in se exprimit. 56.

F. SECVNDINVS *Astensis* Sacerdos, vir omnium virtutum odore flagrans carnis maceratione tantoperè excelluit, vt perpetuo corpori bello indicto, illud, tanquam hostem quotidianis loris perstringeret. F. SECVNDINVS *Astensis.* ADMIRANDVM. *Flagellatio*

Neque communibus contentus, cùm Domi-

Flagellatio Dominica sex vel septem horarum.

Dominicam flagellationem flagris ad sex vel septem horarum spatia protractis, antiqua traditione apud Capucinos constare accepisset: tum ad DOMINICAE PASSIONIS memoriam, quam sedulò in animo versabat, tum etiam ad ampliorem corporis castigationem, captata occasione in quadam B. næ Virginis æde noctem totam pernoctans, nudato corpore flagellationem ad matutinum vsque tempus protendit.

Nocte per-acta.

In insula deserta repetita.

RVRSVS, cùm hanc DOMINI PASSI FLAGELLATIONEM celebrare vellet, in Insulam Sepurtano, quæ nullos incolas habet, adnauigauit, nauicularioque septem horarum spacium præscripsit, quo peracto ad eum redire deberet. Ibi inter dirutos cænobij cuiusdam parietes copiosos ob DOMINICAE PASSIONIS memoriam lacrymarum imbres ex oculis fundens, longam flagellationem instituit: quam cùm ad septimam vsque horam produxisset, tam ex ea languidus euasit, vt ferè exanimis ad Conuentum redierit.

Hanc ille DOMINICAE PASSIONIS FLAGELLATIONEM tam Cacodæmoni exosam adfirmabat, vt cùm eam sæpe aliàs aggressus esset, inuidi Caco-dæ-

codæmonis minis, ac terroribus impeditus integram vix vnquam absoluere potuerit.

Flores Seraphici tom. 2. fol. 344.

VII.

AMATOR CRVCIFIXI

optat, & à Christo Passo precibus exposcit, vt sentire mereatur, vel vnius spinæ ex Corona Crucifixi spineâ puncturas. 57.

IN Fr. BENEDICTI *Rhegiensis* Ordinis Capucinorum Sacerdotis animo tantus erga humani generis Saluatorem, qui præ nimia caritate SPINIS pro nobis in PASSIONE sua coronari pertulit, amoris æstus efferbescebat, vt & ipsam vnius saltem Spinæ compunctionem, carnis sensu experiri summopere expeteret. F. BENEDICTVS *Rhegiensis.*

Quare cùm ob id sæpe lacrymas apud DEVM funderet, ac preces iteraret, optata demum à CHRISTO SALVATORE eidem in oratione apparente Spina fuit confixus. Ex qua Spinæ compun- *Lacrymis impetrat Spinæ puncturam*

 ctione

ctione tam ingens in *Benedicti* animo charitas exarsit, vt ab eo tempore, nunquam
506. se à CHRISTI charitate auelli posse existimaret.

Flores Seraphici to 2. p. 366.

VIII.

AMATOR CRVCIFIXI

58. *Coronam spineam, ob Christi Passi memoriam, capiti suo valide imprimit.*

F. IOSEPHVS *Barcinonensis.*

Fr. IOSEPHVS *Barcinonensis*, Prædicator Capucinus, cùm in Hispania, in oppido Vallis quadragesimali prædicationi incumberet, tanta illius populi ad pænitentiam commotio accidit, vt oppidum illud lugentium domus potius, quàm negociantium forum videretur,

ADMIRANDVM. *Corona spineâ sanguinem è capite elicit.*

In die Parasceues de PASSIONE DOMINI sermone instituto, eidem finem impositurus, SPINEAM CORONAM durissimis dumis obsitam, tanta vi suo capiti imposuit, ac compressit, vt vndique per frontem ac genas sanguis efflueret.

Tum grauissima CRVCE in humeros sublata,

sublata, supplicationem per Ecclesiam instituit, in qua CRVCEM baiulans, atque vndique ex capite sanguinem fundens præiret, populus eo spectaculo commotus in gemitus erumpere, ac Domini PASSIONEM lacrymis prosequi cæpit. *Crucem baiulat.*

Flores Seraphici, tomo 2. p. 379.

IX.

AMATOR CRVCIFIXI *ruens in Crucis oscula, vitam concludit.*

1584.

QVEMADMODVM fecisse scribitur Fr. ANTONIVS *à Francica*, Sacerdos Religiosus, Capuc. qui cum ad omnium virtutum fastigium peruenisse videri posset, in extremo suo morbo decumbens postquam per dimidium horæ spatium, quasi quiescens conticuisset, genu flexit, & CRVCE lignea apprehensa, cum eam diu defixis oculis silens contemplatus esset, tandem in ipsius oscula ruens tam tenerè eam fuit complexus, vt in eius amplexu animo liquefieri videretur. Denique, in quandam B mæ Virginis imaginem oculos defigens in- *F. ANTONIVS à Francica* *Decumbēs genu flectit.* *Crucem osculatur.* *Amplexatur.* *Moritur.*

ter CRVCIS amplexum & Beatissimæ Virginis aspectum DEO spiritum reddidit, in cælo gloria coronandum,

Flores Seraph. tom. 2, 476.

X.

AMATOR CRVCIFIXI.

tribus vltimis hebdomadæ pænosæ diebus, aut duobus saltem, ob honorem Crucifixi, à cibo abstinet.

60.

F. GERARDVS *Venetus.*

Immaculatæ Conceptionis B. V. assertor.

1603.

VIXIT inter PP. Capucinos Fr. GERARDVS *Venetus* Sacerdos, vir plurimæ austeritatis, orationis & charitatis, cui ea consuetudo erat, vt à feria quinta in cæna Domini ad Dominicam vsque Resurrectionis nihil omninò cibi degustaret. Tanta idem in Beatissimæ Virginis Conceptionem deuotione ferebatur, vt ad ipsius Immaculatæ confirmationem ardentem rogum absque vlla ignis læsione se intraturum spoponderit.

Flor. Sereph. tom, 2. p. 486.

DECAS VI.

I.

AMATOR CRVCIFIXI *moribundos, arrepta Christi Crucifixi imagine consolatur, & animat.*

61.

F. IOANNES *Gerundensis* antequam religionem Capucinorum ingrederetur, statim decimo septimo ætatis anno, à delicijs & voluptatibus cauens, selectam adolescentum manum, quam ad pia omnia sibi conciliauerat, ad hospitalem vrbis domum ducebat, & quotidiana cum illis obsequia ægrotis præstabat. Cum verò aliquando mulierem in eo xenodochio iam iam spiritum agentem, apprehensa CHRISTI CRVCIFIXI imagine ad diuinæ misericordiæ spem prouocaret, geminas meretrices pijs suis hortationibus compunctas ad pænitentiam prouocauit, & conuertit,

Flor. Seraph, tom. 3. p. 506.

F. IOANNES *Gerundensis.* *Adolescens pauperum amator.* *Meretrices conuertit.* 1605.

II.

AMATOR CRVCIFIXI

trabes in Crucis formam colligatas per terram, ad imitandum Christi baiulationem, trahit.

62. F. NICOLAVS *Hispanus.*

INTER alia orationis exercitia, quibus animum ad diuini amoris incendium prouocabat Fr. NICOLAVS *Hispanus* Capucinus, cum CRVCIS CHRISTI meditationem summa pietate prosequeretur, hoc Christi charitate vrgente sibi aliquando in animum induxit, vt geminas trabes, quas in sylua iacentes offendit simul fune, quo præcinctus erat, in CRVCIS modum colligatas humeris imponeret, ac per longos syluæ tractus, duarum vel trium horarum spacio, qualibet nocte, nemine spectante, raptaret: quo tempore maximis fletibus ac singultibus Domini PASSIONEM lugebat.

ADMIRANDVM.

Maturè moritur. *Sap.IV.14*

Sed *quoniam* DEO *placita erat anima eius*, breui illum ex huius mortalis vitæ ærum-

rumnis eduxit. Vix enim ad tertium Religionis annum peruenerat, cũm supremo correptus morbo, vitam in summis virtutibus transactam iustorum fine conclusit. Et qui DOMINI CRVCEM dilexerat ad CRVCIS præmia, Domino velocius vocante, euolauit. 1581.

Flor. Seraph. t. 2. 508.

III.

AMATOR CRVCIFIXI

torquet Cacodæmonem, & fugat flagro, ac Cruce. 63.

FR. PAVLVS *Barcinonensis*, Vir Apostolicus ac virtutibus clarus in Religione Capucinorum, cũm esset Nouitius, & animum ad diuina transferret, ac cælestium meditatione altissima animum saginaret, inuidens ei Satan mirum in modum visibiliter etiam eum infestabat. At intrepidus tyro Dæmonis conatus paruipendens familiari flagro, quod secum semper gerebat, Dæmonem appetens illum in fugam compellebat.

F. PAVLVS *Barcinonensis.*

Dæmonem flagro fugat.

Anno vix tertio in Religione transacto,

acto, in morbum incidit, quo ingrauescente, quinta die antequam supremam obiret, cum de CHRISTI CRVCIFIXI SANGVINE, in quem is summa religione ferebatur, cum Fratre adstante colloqueretur, in mentis excessum raptus, diu immobilis, oculis in cælum fixis permansit. Tum extemplo è strato surgens lignea CRVCE manu arrepta exclamare cæpit: deosculare CRVCEM hanc, Canis immanis: deosculare inique: cumque hæc ardentiore spiritu diceret, vix ab astantibus teneri poterat, quin in medium prosiliret.

Diabolus forma canis com. ret.

Tandem sibi redditus, cum à fratribus quid nam vidisset interrogaretur, respondit, Beatissimam Virginem Rosarij, cui deuotissimus erat, & ex aduerso Canem aterrimum, quem Satanam esse cognoui qui in me insiliebat, & guttur dentibus peruadere conabatur. Ab hoc Tartareo Cane vt me liberarem, CRVCEM artipui cuius aspectum cum is ferre non posset, per fenestram fuga sibi consuluit. Hæc effatus morti appropinquans cum DEIPARAE cuius apparentis præsentia potitus esset, omnium opinione cælo dignus terrenis rebus valedixit.

Cruce fugatur,

Flor. Seraph. 514 t. 2.

IV. A-

IV.
AMATOR CRVCIFIXI
ante Crucifixum Mundi deſe-rendi, & Religionem ingre-dendi gratiam ſupplici-ter poſtulat. 94.

THADEVS Bononiæ natus, qui Religionem Capucinorum ingreſſus nominatus fuit Fr. IOANNES *Franciſcus Bononienſis,* Vir fuit ante conuerſionem ſuam ad omnia ſcelera procliuis, & maximis, ſucceſſu temporis, contaminatiſſimus: hoc nihilominus illi erat ſolenne, vt qualibet feria VI. ob DOMINICAE PASSIONIS memoriam ſeuerũ ſeruaret panis atq; aquæ ieiuniũ. Poſt varios caſus, & mille pericula radio Patris cæleſtis illuſtratus cogitare paullatim cæpit meliora. Quare coram CRVCIFIXO adgeniculatus ad tertiam & quartam horam orationem producebat.

F. IOANNES. *Franciſcus Bononienſis.* *Vir vitæ profligatiſſimæ.*

Poſt aliquod verò tempus, cum ante actę vitæ maculas maiori pænitentia delere ſibi in animum duxiſſet, contigit, vt aliquando de Capucinorum Religione amplectenda

Crucifixus oranti annuit.

DEI

DEI voluntatem expoſcens coram CRVCIFIXO feruentius oraret; quo tempore CRVCIFIXI Imago caput bis inclinans Thadæum compulit vt quam primum habitum poſtularet, quem deinde eſt conſequutus & vſque ad finem vitæ geſtauit conſtanter.

1594. *Flor. Seraph tom. 2. p 522.*

V.

65. AMATOR CRVCIFIXI

ad columnam, Chriſti Patientis exemplo, ſponte alligatur, & flagellis cæditur.

F. VITVS *Hirminiensis.* *Laicus.* *Feria VI. ieiunat in pane & aqua.* *Corpus locædit.* ADMIRANDVM. *Cæditur crudeliter à ſocio.*

F. VITVS *Hyrminienſis* Laicus inter Capucinos celebris, cuncta ſextæ feriæ CRVCIFIXI dicatæ ieiunia ſolo pane & aqua conſecrabat, ac ſæpiſſimè nullo cibo tranſigebat. Atque vt inſolentem corporis hoſtem adhuc acrius vrgeret, inſuetis illum loris cedere, propriaſque manus flagellis armare ſolebat. Perinde verò ac ſi id illi minus ſufficeret, robuſtos præterea aliorum lacertos interdum accerſebat, ac velut auxiliares aduocabat, & ad hibeat.

Ad hoc porro arduum ac difficile morti-

tificationis opus, cum aliquando Fratrem, quo familiariter vtebatur, auxiliarem sibi socium adsciuisset, ab eo in popina ad columnam alligari, noctuque tam diu funiculis cædi, ac verberibus contundi voluit, quo ad is gemitus aliquos ederet: quos flagellator præsentiens: Num, inquit, Vite, ob verberum dolorem gemis? Cui Vitus: Quid de gemitu interrogas? Non Vitus, sed hostis gemit. Tu opus tuum viriliter prosequere: nec te fallacis hostis gemitus ad commiserationem moueant. 1582.

Flores Seraph tom 2. p. 534.

VI.

AMATOR CRVCIFIXI

prosternit se, & pedum conculcationem, Christi Patientis imitatione, voluntarie patitur. 66.

HIc iterum prodit Fr. VITVS proximè nominatur, qui SPINEAM CORONAM dumis acutissimis obsitam in cella repositam habebat, quam sæpe, vt Saluatori SPINIS CORONATO languorem pro languoribus vicissim rependeret, capiti impositam & compressam secretò gestabat, CVM

FVITVS *Hyrminiensis Laicus.*

Spinis coronatur.

Solatium Amatoris Christi

Cum verò quodam die Fratres omnes honestæ animi recreationi vacarent, solusque cum Eusebio popinæ præfecto domi relictus esset, ita Eusebium fuit affatus: Eusebi, vides ceteros Fratres varia sibi solatia eligere, num & nobis nostra solatia non erunt? Haud sanè: quapropter si mecum sentis, ego mihi meum, tu tuum tibi, quod magis vnumquemque delectat, animi solatium eligamus.

Prosterni.

Annuente Eusebio, Vitus ait: Prior ego supinus prosternar; tu verò bis terque superos, vultum, ceruicemque pedibus gradiens, meque CONCVLCANS, Religionis dedecus ac ignominiam appellabis. Cui mox Eusebius: Si id à me tibi præstari optas, tu humeris nudatum egregiè tua manu flagellans, me Seruum nequam, contumacem, pluribusque plagis dignum nuncupes necesse est. Hæc vterque præstitit. O spectaculum CRVCIFIXI, & CRVCIS Amatoribus periucundum!

Conculcari.

Cædi.

Flor. Seraph. tom. 2 p. 235.

VII. A-

VII.

AMATOR CRVCIFIXI *non tam cognomine, quam vita & opere.* Crucium *se esse ostendit.*

67.

SVNT qui cognominantur, *A Cruce* F. ARSENIVS
de Cruce, Crucij, vtinam viri essent *Medio*
sui nominis, & opere exhiberent, *lanensis.*
quod præseferunt vocabulo. Vt fecit *Laicus.*
Fr. ARSENIVS *Mediolanensis* in Capucinorum castris inter Laicos Crucis Vexillifer. Hic illustri & antiqua CRVCIORVM stirpe progenitus, quo perfectius ac maturius paterni generis nobilitatem ac seculi delitias calcatet, in ipso iuuentutis flore ad CRVCIS VEXILLVM euolans Capucinorum Religionem ingressus, in humili Laicorum statu CRVCIS cognomentum non mutauit; sed vita ac opere ipso illustrius reddidit.

Crucius Crucis Amator.

Arsenius igitur, cùm primum sub CRVCIS vexillo se militare agnouit, tam strenuè carnem, sensus, corporis commoda ac ceteros CRVCIS, CHRISTI inimicos persequi cæpit, vt nihil vnquam

Durißima appetit.

quam

quam aſperum, nihil denique graue, ac laborioſum refugeret, quo illo, vſque ad internecionem profligaret, Nodoſa funis nudos ipſius lumbos perpetuò conſtringens CRVCIS athletam aduerſus caſtitatis hoſtes armabat. Horrens acutis pilis cilicium, quo pro thorace diu noctuque vtebatur, carnis inſolentiam cohibebat. Aſsiduis domeſticum hoſtem flagellis ne inſoleſceret, vſque ad ſanguinem cædebat.

Funis nodoſa.

Cructlium aculeatum

Flagellum quotidianum.

Flores Seraphici t. 2. 541.

VIII.

AMATOR CRVCIFIXI

in arborum corticibus ſignum Crucis ſculpit, illudque veneratur.

48.

F. FELIX *a Cantalicio Laicus.*

Puer ruſticanus Crucifixum colit.

CELEBRE erat ante annos aliquot Romæ nomen Fr. FELICIS *à Cantalicio* Laici Capucini, qui ruſtici filius, quamuis paſcendis armentis puerulus occupatus, perrarò diuinis myſterijs intereſſe valeret, paſcua tamen ipſa ac deſerta, perinde ac ſi templorum limina eſſent, ſibi ad orationem deligens, in his

his defixis in cælum ocellis Numen Diuinum deuotus precabatur. Frequentius verò Venerabili CRVCIS ſigno in arborum corticibus inſculpto, ante ipſum illacrymans procumbebat, ac Domini SALVATORIS VVLNERA & PASSIONES, quemadmodum à parentibus edoctus fuerat, omni cum pietate ac gemitu ruminabat. Seorſim autem à ſocijs inter nemora ac rubeta ſecedens, vt CHRISTI PATIENTIS dolorum particeps fieret flagello, quod ex funiculis compactum ſibi parauerat, nudatos humeros multiplici verbere flagellabat. Quod ante annum ætatis duodecimum facere erat ſolitus. *Nudatum dorſum flagellat.*

Flores Seraphici t 2. 593.

IX.

AMATOR CRVCIFIXI

Bacchantium inſaniam diebus Bacchanalium, ſpectaculo Chriſti Patientis, ac Crucifixi caſtigare & cohibere conatur. 69.

SICVT fecit laudatus modò FELIX, Beati titulum, poſt mortem conſequu- **F. FELIX à** *Cantalicio Faicns.*

1625. tus ab Vrbano VIII. Is profana Vrbis Bacchanalia exturbare volens, consilio cum S. Philippo Nerio tunc viuente inito, pium opus, ipso annuente hoc ordine fuit auspicatus.

Pompalugubris. Præcedebat Oratorij Sacerdos, sacco amictus grandiorem CRVCEM CRVCIFIXI imagine ornatam vtraque manu gereris: quem duo alij eiusdem Oratorij Sacerdotes geminas faces accensas gestantes sequebantur. Tertius procedebat Felix crassiorem funem manibus attrahens, qua Alphonsum Hispanum, Lupum agnomine, summum ea ætate Euangelij præconem, alligatum raptabat. Post hos duo alij gradiebantur mortuorum cranijs & tibijs onusti.

ADMIRANDVM. F. ALPHONSVS *Lupus Hispanus. Concionatur inter bacchantes contra Bacchanalia.*

Cùm primùm ergo horrendum huiusmodi spectaculum inter profanos ludos apparuit, Alphonso contra profana Bacchanalia, ritumque Gentilium delirantium magnis vocibus prædicante, ita perterre fieri cæpere, vt paullatim Romanus Populus, qui tunc ibi frequentissimus erat, loco ac spectaculis cedere visus fuerit.

Flores Seraph, t. 2 600.

X.

AMATOR CRVCIFIXI

numerum verberum Flagellationis Christi sibi infligit. 70.

FR. RAYNERIVS *à Burgo S. Sepulchri,* Laicus Ordinis S. Francisci Capucinorum, de cuius Beatificatione agi dicitur in Curia Romana, tam incredibili DOMINICAE PASSIONIS memoriam mentis pietate complectebatur, vt cùm ligneam CHRISTI CRVCIFIXI statuam, in noua, quam parauerat CRVCE aliquando clauis configeret, repentè ex statuæ manibus ac pedibus tam abunde sanguis exilierit, vt per CRVCEM decurrens in ipsius manicam defluxerit.

F. RAYNERIVS à Burgo S. Sepulchri. Laicus.

Sanguis prodiosus

Diuinæ verò potissimùm FLAGELLATIONIS mysterium tam piè sibi colendum proponebat, vt non semel, sed iterum, atque iterum Domini flagellatione, quæ ex antiqua PP. traditione 6666. verberibus constitisse legitur, per sex horarum interualla, nunquam intermisso verbere corpus attriuerit.

Flagellatio Christi 6666. verberum

Eius memoria Crucifixo grata. Columna in felle. Flagrum in corde

Diuinæ huius FLAGELLATIONIS memoria quam DEO FLAGELLATO & CRVCIFIXO grata fuerit, post mortem Raynerij miraculo declaratum fuit. Christi enim Columna sanguine conspersa, lapidi, qui in ipsius felle repertus est, diuina virtute insculpta flagrumque eiusdem formæ, qua Capucini vti solent, in ipsius corde cælatum, conspecta fuere.

Flor. Seraph. t. 2. p 645. 646.

DECAS VIII.

I.

AMATOR CRVCIFIXI

à Crucifixo, ante eius siue æneam siue ligneam statuam affectuosissimè benedictionem iterum, iterumq́, petit, & inter amplexus dicit, cum Iacobo Patriarcha:

Non dimittam Te, nisi benedixeris mihi.

Genes. XXXII. 27.

71. *FRATRES Capucini.*

SI feceris amanter, ardenter, confidenter, fortasse tibi, contingot, quod Religiosis

ligiosis illis Fratribus, quibus ante ligneam CHRISTI CRVCIFIXI statuam genu flexis ac diuinam benedictionem post Epiphaniæ ieiunium poscentibus, dextera manu è CRVCE soluta benedixisse, præsens vidit CRVCIFIXI Amator excellens *Raynerius* paullo ante depictus.

Flor. Seraph. tom. 2. p. 645.

II.

AMATOR CRVCIFIXI *à Crucifixo finem dierum suorum in hac vitâ mortali postulat.*

72.

AN hoc fortasse fecit Fr. VALENTINVS *ab Alto muro*, Capucinus Laicus qui in Conuentu Cryptarũ, cryptam sibi ad orandum elegerat, in qua CRVCIFIXI imago in pariete depicta cernebatur: ante quam cum aliquando genu flexus oraret, vocem ex illius CRVCIFIXI ore profectam ita se alloquentem audiuit; Valentine, pauci elabentur dies, post quos ad te veniam eorum tibi præmia collaturus, qui me totis visceribus diligunt. Hoc ille audito, cùm diligentius se ad Do-

F. VALENTINVS *ab Alto muro. Laicus. Vox à Crucifixo profecta.*

ad Domini aduentum paraſſet, paucis diebus elapſis ad promiſſam illi à CRVCIFIXO mercedem fuit aſſumptus.
1589. *Flor. Ser. t. 2. p. 668.*

III.

AMATOR CRVCIFIXI

Corollas de Paßionis Dominicæ myſterijs conficere, & per hebdomadæ dies piè reci-
37. *tare ſolet.*

F. SERAPHINVS à Monte Grana. Laicus. Meditatio Paßionis. Septem corollas conficit.

IN quo deuotionis genere excelluit Fr. SERAPHINVS *à Monte Grana*, Laicus in Religione S. Franciſci Capucinorum, de quo hæc eguntur.

CVM potiſſimus ad quem Seraphini oratio ferebatur, DOMINICAE PASSIONIS meditatio ſcopus eſſet, eam in quadringentas partes, ſeu puncta diſſecuerat; ſeptemque ex his COROLLAS, ſexaginta tribus cuique myſterijs adſignatis compoſuerat, quas per ſingulos hebdomadæ dies diſtributas ſibi meditandas propoſuerat. Has tanta animi compunctione ac diuini amoris æſtu recitare ſolitus erat, vt in his magnam ſemper lacrymarum vim perfunderet.

Cùm

Cùm autem in more positum haberet, vt quoties graui aliqua iniuria, aut contumelia à quopiam afficeretur, ex septem Corollis quas ex DOMINICAE PASSIONIS mysterijs collegerat, vnam pro iniuriam inferente Domino persolueret, contigit aliquando, vt pro quodam Guardiano, qui præter omnem modum cum pænitentijs onerauerat, Corollam ardentius in Ecclesia recitaret. Quo tempore Domini vocem hæc sibi dicentem audiuit: Seraphine tua hæc mihi oratio, qua me ex animo pro ijs, qui mala tibi inferunt, rogas, tam grata est, vt quæcumque à me deinceps postulaueris, accipies. *Oratio pro mala inferentibus.* *Crucifixo gratissima.*

Eo tempore quo Domini MORS & sepultura pia ab Ecclesia memoria celebratur, sacellum in quo CHRISTI CORPVS tunc reconditur, cum alijs ante diem Parasceues ingressus ab ea nunquam deinceps recedebat, quoad absoluta mysterij illius memoria, inde Christi corpus postridie asportaretur. *In Sacello Crucifixi assiduus.*

Plurimos autem CRVCE ac CRVCIFIXI imagine, quam vbique circumferebat, à varijs morbis sanauit, 1604.

Flores Seraphici tom. 2. 730. & seqq.

IV.

AMATOR CRVCIFIXI

libenter & peculiari deuotione recitat Hymnum

Stabat Mater doloroſa

74. *Iuxta Crucem lacrymoſa*

Dum pendebat Filius.

F. SERAPHINVS à Monte Grana Laicus.

HVnc cùm proferret Fr. SERAPHINVS nocte quadam ante Horas matutinas, cùm neminem adeſſe putaret, vt peruenit ad verſum illum:

Tui nati Vulnerati,
Tam dignati pro me pati,
Pœnas mecum diuide.

in tam ingentem fletum erupit, vt nullum lacrymis finem daret.

Flor. Serap t.2.p.731.

V.

AMATOR CRVCIFIXI

in graui tentatione deſerendi Religionem, ante egreſſum, Crucifixo vale-

75. *dicit.*

OPTI-

F. SALVATOR *Canianē*.

OPTIMVM id esse ad perseuerantiam, superata tentatione, consilium exemplo docuit Fr. SALVATOR *Caniaénsis* institutum Capucinorum complexus, & in eo tiro, qui tentationibus perterritus, quibus continuò excigitabatur, reditum ad secularem vitam meditari cæperat. Quapropter re cum Magistro com-municata, cum is eum à seculi proposito reuocare minimè posset, his illum tandem verbis affatus est: Iam si tibi, O Saluator, ad tuos redire omninò constitutum est, ito, non pugno: verùm, Domino saltem, antequam discedas, valedicito, atque ante CRVCIFIXI Imaginem, quæ in Ecclesia eminet, quinquies Orationem Dominicam cum Angelica Salutatione proferto.

Tentatio Nouitij.

Consi. um Magistri.

Res *Saluatori* facilis visa: mox in Ecclesiam pergit, & dum Orationes Dominicas atque Angelicas Salutationes ante CRVCIFIXVM recitat, DEI benignitas mox illi sua clementia adfuit. Etenim visibili aspectu ex CHRISTI CRVCIFIXI VVLNERIBVS quinque in eum sanguinis radij tanta virtute feruntur, vt ijs Saluator perterritus, atque animo prorsus immutatus, in Religionis ita amorem exarserit, vt durissima quæque, vel ipsam

Salutatio Crucifixi.

Irradiatio à Crucifixo

Ti onis cō-uersio. potius mortem perferre, quàm Religionis propositum deserere, sibi altè deinceps in animo fixerit.

Potestas in Dæmones. Is deinde, tantam aduersus Dæmones potestatem accepit, vt illos ab obsessis etiam corporibus expelleret, & in eos CRVCIS signum vibrando ad tenebras adigeret.

Mortis præmun iatio. Denique post annos aliquot in Religione, nulli corporis labori parcens sanctè transactos, lethali ægritudine correptus, obitu suo Fratribus prænunciato, dum

1606. oculos in CHRISTI CRVCIFIXI imaginem defigit, DEO spiritum reddidit.

Flores Seraphici t. 2 p. 758.

VI.

AMATOR CRVCIFIXI

in extremo vitæ articulo benedictionem, & abeundi licentiam, inclinato capite, petit à Crucifixo.

76. F. FRANCISCVS à Darocha. Laicus.

ABhac praxi commendationem habet Fr FRANCISCVS à *Darocha* Capucinus Laicus, qui post multos in Religione

ligione anno seuerè traductos, fine appropinquante, cùm Guardianus insolita illum lætitiæ signa edere conspexisset, ab eo, quæ noua illius hilaritatis caussa esset percunctatus est. Cui *Franciscus* ingenuè: Quid ni, Pater, summa voluptate afficiar, cum Bmam Cælorum Reginam, multis Virginum ac Sanctorum choris stipatam hic præsentem videam, quæ me hic emigrantem expectat, vt ad cæli gloriam ducat. *Hilaris ante mortem. Præsentia B.V.M.*

His dictis cum CRVCIFIXI Imaginem, quam manu gestabat, deuoto cordis affectu exosculatus esset, CAPVT INCLINANS, quasi ab eo benedictionem postularet, septima suæ ægritudinis die puram DEO animam tradidit; membris post mortem haud secus, quàm si viua essent, naturali mollitie ac flexibilitate constantibus relictis. *Caput inclinat Crucifixo.* 1607.

Flor. Seraph. t. 2. p 763. 764.

VII.

AMATOR CRVCIFIXI

Matris Dolorosæ lacrymas pro suis Offert Crucifixo 77.

HOc gratissimum esse Passo Domino F.M R- C V A

mino ipse aliquando PASSIONIS suæ amatori feruenti aperuit. Is fuit Fr. MARCVS *Scotoneto* Capucinus Laicus, qui in DOMINICAE PASSIONIS meditatione animum vt plurimum exercebat, quam cum vberioribus lacrymis prosequi non posset, lacrymarum à Domino donum postulans, illum intus ita loquentem percepit:

à Scotoneto Laicus.

Marce, cùm in meæ PASSIONIS memoria lacrymæ arescunt, mutuo à Matre mea suas tibi lacrymas petens, eas mihi pro tuis offer, eæque mihi æquè ac tuæ gratæ erunt.

Commodatò accipere lacrymas à B.V.M.

Idem *Marcus* quodam tempore, miræ pulchritudinis CRVCEM in aëre emicantem intuebatur, cuius aspectu mirum in modum ad CHRISTI CRVCIFIXI imitationem accendebatur.

Crux pulcherrima in aere.

1608. Amator CRVCIS eximius, multis signo CRVCIS sanitatem, morbo pulso, reddidit.

Flores Seraphici tom. 2. 769.

VIII. A-

VIII.

AMATOR CRVCIFIXI

in nubem ventorum & procellarum prodromam Crucem vibrat. 78.

FR. MANSVETVS à *Valle Comunorum* Ord. Capuc. Laicus, cùm ad extremã vsque senectutem, vitam mira innocentia, ac mentis puritate, admirabili quoque pietate ornatam duxisset, perpetuum se quoad vixit CRVCIFIXI ac CRVCIS amatorem, ideoque Regularis quoque obseruantiæ ac perfectæ virtutis exemplar cunctis suspiciendum præbuit.

F MANSVETVS à Valle Comunorum. Laicus.

Mira illius fuit in CRVCEM fiducia. Mediolani in Conuentu S. Victoris agens, cùm atra nubes, quæ procellam ac vastitatem frugibus minabatur, rectaque ad conuentum ferebatur, omnibus metum incuteret, Mansuetus in genua procidens, ac paulisper orans, tum CRVCE Regulæque Codice apprehensis, ac in nubem appropinquantem CRVCIS signum vibrans tam repentè eam dissoluit, vt pusillo tempore elapso, vix eius vestigia visa fuerint.

Fiducia in Crucem.

1610.

Flores Seraphici t. 2 p. 795.

IX.

AMATOR CRVCIFIXI

in scelerata vita nunquam Matris Dolorosæ oblitus fuit, recitando quotidie Hymnum, Stabat Mater Dolorosa.

79.

F. BARTHOLOMAEVS. *Cæsenas.*

FR. BARTHOLOMAEVS *Cæsenas* antequam Religionem Capucinorum ingrederetur sacerdotio in unctus, vna cum altero illius vrbis sacerdote, tam effrenem vitam ducebat, vt nullis vterque sceleribus parcerent. Inter hæc tamen corruptissimæ vitæ scelera, quidam illi erga Beatiss. DEIPARAM iuxta CRVCEM stantem religionis igniculus animo inerat, quo illam quotidie hymno illo, *Stabat* MATER DOLOROSA salutare consueuerat, & venerari.

Sacerdos in seculo sceleratus.

His itaq; turpioris vitæ tenebris immersus, dum aliquando solitam precationem orat, in mentis excessum raptus, in igneum pelagus se deportari videt: in quod demersus, cum acrius à flammis cruciaretur, circumspiciens amicum Sacerdotem eiusdem

Rapitur in pelagus igneum.

eiusdem pelagi flammis obrutum animaduertit.

Inter hos ardentes pelagi fluctus, dum miser præ dolore exclamat, en Bma Virgo è cælo delapsa manum porrigit, eumque è pelago eductum his verbis affatur: Bartholomæe, quandoquidem tam grauiter meum ac DEI Filium tuis sceleribus læsisti, hinc si saluus optas emergere, illius te conspectui astare, atque ab eo criminum veniam poscere oportet. Cùm primum igitur coram DEI Filio Bartholomæus apparet, confestim ab eo duris verbis reijcitur: à DEIPARA verò confortatus iterum ad Iudicis pedes supplex seipsum prosternit: à quo rursus vultu iracundo repulsus, nihil preterquam suæ damnationis sententiam à Iudice expectabat; cum illum Beatissima Virgo secum assumptum ad Filium ducit, qui Bmæ Matris precibus permotus eidem hac conditione ignoscit, vt præterita peccata pænitentia deleat, ac vitam in meliorem commutet.

Subuenit B. V. M.

Iudicis ira

B. Virginis intercessio.

Post hæc ab excessu rediens, cum litteras à fratre accepisset, quibus certior fiebat, amicum Sacerdotem eo planè tempore, quo hæc illi visio manifestata fuerat, glande apperitum repentè interijsse, meliori apud se consilio, ad Reli-

Conuersio sacerdotis pessimi in Religiosum optimum

Religionem aduolauit; quam cum plurimis virtutibus, & vitæ sanctimonia illu-
1592. strasset, plurimosque suæ virtutis æmulatores reliquisset, senio, ac austeritatibus consumptus, ad immortalitatem concessit.

Flores Seraph t.2.347.

X.

Amator Crvcifixi

80. *Flagellationis genere nouo, quæ Domini appellatur, corpus quotannis excruciat.*

F. ANTONIVS *Cyrnæus. Singulis noctibus flagellat corpus.*

F. ANTONIVS *Cyrnæus* Capuc. Sacerd. singulis noctibus in FLAGELLATIONIS DOMINICAE memoriam corpus longa castigatione flagellabat. Nouo porro atque à paucis eatenus vsitato flagellationis genere vsus, semel in anno, tot verberum ictibus totum corpus cædebat, quot Dominum in sua flagellatione sustinuisse Sanctorum reuelationibus traditum acceperat, qui numerum, vt ferunt, 6666. explerent.

ADMIRANDVM.

Hanc flagellationem, in qua V. horas integras impendere solitus erat, certoque expe-

experimento didicerat, tanto temporis spatio hunc verberum numerum expleri, FLAGELLATIONEM DOMINI appellabat: quam Diabolus diuersis modis impedire conabatur.

Flagellatio Domini.

Cùm ægrotaret *Antonius*, postulauit ab illo F. Ioannes Appulus, vt eorum quæ sibi post mortem contingerent, certiorem redderet. Antonius post mortem Ioanni in cella apparuit, seque sola CHRISTI PASSIONE ac SANGVINIS illius virtute salutem consequutum esse: at Purgatorij pænas luere declarauit, ob culpam tamen sibi ignotam, quæ si nota fuisset, ab ea procul dubio abstinuisset.

Post mortē appuret.

Virtute Passionis D. saluatus.

A Ioanne tamen interrogatus, num grauiter in Purgatorio cruciaretur, annuit, adiuncta Diuinæ visionis carentia cum pæna sensus: breui tamen ab vtraque liberum se DEI gratia ac benignitate futurum. 1548.

Purgatorij pæna.

Flor. Seraph. tom. I. 264.

DECAS IX.

I.

AMATOR CRVCIFIXI *ad vitæ finem, arrepta Crucifixi Imagine de beneficijs ab eo acceptis colloquium instituit.*

81.

F.IOANNES à *Fano.*

Gratus Crucifixo.

CVM esset in extremis Fr. IOANNES à *Fano* in Ordine FF. Capucinorum celebris, deuotissima Sacramentorum perceptione præmissa, CRVCIFIXI Imaginem apprehendens, luminibus non absque lacrymis in Dominum defixis, vniuersa illius beneficia sibi collata enarrauit. Tum, quas Tibi inquit, ò Bone IESV! pro tam singularibus donis aut gratias agere, aut laudes referre queam? En iam septenium in hoc sanctæ Reformationis sinu diem lætus claudo: hic tandem cursum consummo: hic hilaris obdormio: quid Tibi pro tanto beneficio dignum, præter laudes retribuam? *Te* DEVM igitur *laudamus*, *Te Dominum confitemur*. Cùmque Hymnum totum, vsque ad extremum illum versiculum

Beneficiũ vocationis religiosæ.

lum: *In Te Domine speraui, non confundar in æternum*, sensibus integris decantasset; adhuc postremus illi versiculus ex ore fluebat, cum spiritus inter Diuinas laudes ad DEVM migrauit. 1539.

Flor. Serap. t. 1. p. 41.

II.

AMATOR CRVCIFIXI

amat raptari tanquam furcifer, ad imitationem raptati in Passione Domini. 82.

F. PETRVS *à Mazarà.*

ID non solum fuit in optatis, verum etiam in vsu F R. PETRO *à Mazara* Capucino, qui DOMINICAE PASSIONIS opprobria tam profundè sibi in animo insculpserat, vt in qualibet sexta feria CHRISTO PASSO consecrata, fune sibi ad collum alligato, nudum, solis, tantum sibi lineis fæmoralibus retentis, to se à Nouitijs per Ecclesiam & Refectorum raptari iuberet. Quo tempore tam ingentes gemitus, ac singultus edere solitus erat; vt omnes ad lacrymas compelleret. Flebat ipse præterita crimina

ADMIRANDVM.

Raptatur, gemit, singultis, lacrymatur.

mina ac Domini sui opprobria: flebant nouitij amarissimas Patris sui lacrymas. Illos autem etiam aliquando præcepto cogebat, vt eum duris flagellis cæderent.

Ferrea catena corpus cædit. Corpus verò suum ipse tot flagellis castigabat, vt communia illi non sufficerent, sed ferreis catenis, ijsque crassioribus corpus domaret.

Martyrij auidus. Vehemens illi erat martyrij cupiditas. Quare à Generali summis precibus impetrauit, vt in Africam cum Cæsareana classe proficisceretur; cui adiunctus, cum in Africam venisset, ligneam CHRISTI CRVCIFIXI Imaginem dextera gerens milites ad vrbis quam obsidebant, expugnationem animabat, primusque CRVCIFIXVM in mænibus atque in arce locauit.

Affectu martyr. Voluntate Martyr. & tot duris ad Christi imitationem toleratis graui morbo ægrotare cæpit. Ex quo cum cælesti Domini voce (quæ illum ex CRVCIFIXI imagine, quam secum gerebat) alloqui*Mortem prædicit.*tus fuerat) se hinc breui discessurum intellexisset, reliquum vitæ spacium totum in DEI laudibus consumens, eadem, quam prænunciauerat, hora ad puriorem vitæ

1550. lucem euolauit.

Floret

Flores Seraphici t. 1 p. 99. 100. Ioannes Rhò lib. 3. Variæ Virtut histor. lib 3 cap. 2 à quo nominatur Petrus Mezaciensis.

III.

AMATOR CRVCIFIXI

in Quadragesima, à Dominica Passionis vsque ad Pascha, varijs corporis afflictationibus Passionem Dominicam, continenter colere, & in se exprimere studet. 83.

ADMIRABILIS fuit in hoc genere, vir omnium virtutum laude excellens Fr. FRANCISCVS *Sacciensis*, cuius memoria in benedictione est apud PP. Capucinos. Hic tantæ erat abstinentiæ, vt bis solum in hebdomada, nimirum, quinta feria, ac Dominica die cibum sumeret, reliquos verò dies absque vllo alimento præteriret. Porro dierum illorum refectio, non alio, quàm panis & aquæ cibo ab illo peragebatur: quam viuendi rationem xxx annorum spatio coluit. — F. FRANCISCVS *Sacciensis.* ADMIRANDVM *Bis in hebdomade cibum sumit*

Sacram verò pænosamque in fine Quadragesimæ hebdomadam absque vllo cibo transige- — *Sanctam hebdomadam ieiu-*

transfigere consueuerat, præterquam in die Iouis sancto, in quo propter diei solennitatem, duabus vicibus non amplius panis buccellis vescebatur.

à Dominica Passionis seuerissime ieiunat.

Interdum à Dominica PASSIONIS, vsque ad Resurrectionem Domini, inter quas xv. dierum spatium interfluit, ita à cibo abstinebat; vt trinam tantum toto eo tempore panis & aquæ refectionem admitteret. Neque ab hoc abstinentiæ genere eum quadragesimalis prædicationis labores deterrebant.

Decem diebus cibo abstinet.

Præter hæc aliquando, Orationis, cuius is amantissimus erat, studio allectus, decem integros dies absque vllo cibo ducebat. Septem quotidie, iuxta horarum Canonicarum numerum, carnis flagellationes exercebat. Ac feria vi. quam DOMINICAE FLAGELLATIONIS memoriæ consecrabat, spinosis malorum granatorum ramis durè seipsum cædebat. Quo tempore tam copiosus ex eo sanguis effluebat, vt ampla cruoris signa ab eo in Ecclesiæ panimento relicta abstergi opus esset, ne homines in horrorem inducerentur. Cum autem ab eo Fratres quærerent, quo pacto caro tot flagellis concisa susistere valeret, id respon-

ADMIRANDVM.

Ramis spinoris Corpus Cædit.

pondere solitus erat: haud tantum sibi doloris flagellationes adferre, quantum ex pænarum CHRISTI meditatione illi in animo dolor oriebatur.

Tria sibi cilicia asperrima contexuerat, ex quibus duo, terga vsque ad femora tegebant, alterum ante pectus vsque ad Vmbilicum pendebat, quibus cum diu noctuque vteretur, perpetuum CHRISTO PASSO & CRVCIFIXO carnis suæ martyrium efferebat. *Tria Cilicia.* 1575.

Ijdem. tom. 1 p. 118.

IV.

AMATOR CRVCIFIXI

à Crucifixo, ad terrendos peccatores, vindictam minitatur. 84.

F. FRANCISCVS Saccensis.

CVM laudatus antea F. FRANCISCVS in oppido Bocherio pro suggestu in peccatores inueheretur, stabat in totius populi prospectu quædam grandior CRVCIFIXI statua eminentiori loco collocata, ad quam cum Vir DEI oculos erexisset, ait: Caue tibi, O peccator,

Crucifixi manus clauum deserit.

cator, à cælesti DEI viuentis ira; nam Christi manus, quas tibi in CRVCE confixas cernis, nisi DEVM pænitentia placaueris, à CRVCE solutæ, clauos deserent, ac pro clauis gladium apprehendent.

Ad clauũ redit. Dictu horrendum. Vix hæc protulerat, cum illa CHRISTI CRVCIFIXI statua dexteram manum magno strepitu à CRVCE diuulsam, quasi tunc ea vindictam de impijs sumptura esset, in altum extulit. Quo tempore cum populus rei aspectu perterritus misericordiam à DEO magnis gemitibus postularet in signum clementiæ, ad clauum rediit. Diuino autem hoc spectaculo ita vniuersos terruit, vt eo plerique commoti ad religiosorum claustra, valedicto mundo, aufugerint.

Flores Seraph. tom. 1. 120.

V.

AMATOR CRVCIFIXI

nullum diem elabi permittit, sine aliqua carnis afflictatione, ad memoriam Passionis Dominicæ.

FR. PE-

FR. PETRVS *Tudertinus* inter Capucinos eam vitæ rationem instituit, quæ ceteris virtutum exemplar esse posset. Is quicquid temporis ex communibus obedientiæ officijs supererat, totum orationi, ac præsertim PASSIONIS CHRISTI meditationi dabat. Hac tantoperè afficiebatur, vt non tantum animo, sed etiam corpore CRVCIFIXO DOMINO compatiendum sentiret.

F. PETRVS Tudertinus. Vir vitæ exemplaris.

Idcirco ad DOMINICAE PASSIONIS memoriam in seipso excitandam, aspero semper ad carnem cilicio vtebatur: idque dicere solitus erat: Seruum DEI nullo vnquam tempore prætermittere debere, vt dies absque aliqua corporis afflictione elabatur, quæ illi PASSIONEM DOMIMI in animum reuocet.

Quotidie Passionis memoriã excitat.

Flores Seraphici, Tomo 1. 122. 1540.

IV.

AMATOR CRVCIFIXI

Crucem sponte humero impositam raptat noctu per loca aspera. 86.

ITA religioni, quam deinde ingressus

F. MATTHAEVS a Leonissa. Medicus pauperum curator Pane benedicto.

gressus est, prolusit F. MATTHAEVS à Leonissa, qui Medicinæ Doctor, Medicorum toga in tertij ordinis S. Francisci habitum commutata, à Medici tamen officio non abstinuit; sed quotidianas curationes, tanta in pauperes caritate exercebat, vt cum ij pharmaca præ inopia comparare minimè possent, panem ijs benediceret, qui sumptus medimantorum instar fuit, cùm æquè, immò magis sanaret.

Signo Crucis.

Quendam, Signo CRVCIS adhibito, integritati restituit, cum frontem saxi ictu grauiter læsisset.

ADMIRANDVM.

Post quotidianas curationes ægrotis impensas in campestrem quandam Ecclesiam secedere solebat, vbi binas vel ternas in oratione horas insumebat, corpus verberibus castigabat, ac intempesta nocte impositam sibi in humeros trabem, quæ CRVCEM DOMINI suo pondere referebat, per omnes oppidi ecclesias raptabat.

Crucem trabalem baiulat.

Hoc ipsum spirituale exercitium quod in DOMINICAE CRVCIS memoriam adhuc secularis inchoauerat, etiam post susceptam religionem, inter FF. Capucinos pari studio prosequutus est. Sæpe enim, cùm id loci ac temporis opportunitas ferret, in profundo ipso noctis silentio

tio

tiò surgens, post longam corporis flagellationem trabem sibi humeris imponebat, nudisque pedibus ad Ecclesiam pergens, CHRISTVM DOMINVM CRVCEM ad Caluarium deferentem meditabatur; atque interdum lacrymosis gemitibus sacram Domini PASSIONEM, iuxta Matthæi Euangelium recitans, deplorabat.

Quo tempore, haud rarò accidit, vt cælestia quædam lumina à nonnullis conspicerentur, quæ ipsum euntem ac redeuntem comitabantur. Hæc lumina primùm Leonissæ, à quadam pia fæmina visa fuere, dum Matthæus adhuc Tertiarius pium hoc opus intempesta aliquando nocte præstaret. Cùm autem inter Capucinos in Nertij oppido eidem operi pio insudaret, trabem ferentem, iterum cælestia lumina illum sequentia sunt conspecta. *Lumine prodigioso illustratur.*

Interdum etiam DEI seruus graui illo pondere onustus, quò acerbius PASSIONIS DIVINAE dolores in seipso experiretur, & maiori pietate opus illud exantlaret seipsum ad sanguinem vsque flagellis cædere consueuerat: quo fiebat, vt sæpe nix, qua humus in eo itinere tegebatur sanguineis stillis circum quaque rubesceret. *Flagellati sanguis.*

Angeli comites. Quam autem hoc religionis opus DEO gratum esset non obscure testabatur, quod è cælo Angelos in eo viæ curiculo comites adiungeret. Idem ille Matthæus defunctum CRVCIS signo à se consignatum ad vitam reuocasse narratur.

1553. *Flor. Seraph tom. 1. 138 Ioannes Rhò lib. 3 hist. virt. cap. 2.*

VII.

AMATOR CRVCIFIXI

dolorem ex confractis cruribus lenit consideratione dolorum Christi D. in Passione.

87. *F. LVCAS Narinus. Christi dolor sine Crurifragio maior dolore latronum. Crus vtrumque confringit.*

QVAMVIS Christus D. non sit passus crurifragium, vt duo latrones, qui fuerunt Crucifixi cum eo, habuit tamen dolores intensiores, quam quos vlli vnquam in crurifragio senserunt. Quare si contingat, vt crus tibi frangatur, vel in rota, Christi causa, vel quia id est meritus, vel alio casu, mitiga sensum illius cruciatus, CHRISTI maiora passi contemplatione.

Huius medicinæ lenientis magister est

CHRI-

CHRISTVS ipse, qui illa præscripsit Fr. LVCAE *Narino* Capucino, qui cum Gibelmannæ Conuentum moderaretur, Dæmonis opera ex alto Ecclesiæ culmine in terram collapsus, vtrumque crus confregit: quo casu cum grauissimo dolore cruciaretur, tametsi illud patienter ferret, vis tamen doloris eum ad aliquos gemitus edendos compellebat. Cui CHRISTVS CRVCE onustus apparens his eum verbis fuit affatus.

Luca, quis-nam acrior dolor fuit, tuus ne, quem in cruribus sustines, an meus, quem sub hoc CRVCIS onere pertuli? Cui Lucas, tuus certè, IESV, cui nec meus quidem vllo modo comparandus est: vtinam tuo quoque dolore fruar! Christus autem discedens, sua benedictione omnem illi doloris sensum abstulit. Qui CRVCIFIXI fiducia, ac virtute, quandam mulierem signo CRVCIS obsignans, eam à paralysi liberam reddidit. *Solamen ex Christi alloquio.*

Flores Seraph. tom. 1. 146. 147. 1555.

VIII.

AMATOR CRVCIFIXI

Flagellationem quinque horariam ad Christi flagellati honorem alacriter peragit.

88.

F. LVDOVICVS *Fulginas.* *Austeritas singularis.*

VIR fuit austeritatis singularis F. LVDOVICVS *Fulginas* Capucinus: tam in seipsum rigidus, vt hispido habitu nedum contentus, sub eo quoque asperum cilicium gestarit: nudis semper pedibus quocumque tempore absque sandalijs ambulans: quotidiana ieiunia colens: pulmento & carnibus nunquam vescens: herbas tantum & legumina interdum sibi ad victum adhibens.

Ad antra solitaria aliquando secedebat, vbi bis tantum vel ter in hebdomada panis & aquæ cibo reficiebatur, reliquam temporis partem, vel diuinis colloquiis, vel rerum cælestium contemplatione absumebat

ADMIRANDVM. 1557.

Sæpe etiam in anno Christi Domini FLAGELLATIONEM quinque horarum spacio productam, vt DOMINICAE

DICAE PASSIONIS mortificationem in se ipso referret, exercebat.

Flor. Seraph. tom. 1. 145.

IX.

AMATOR CRVCIFIXI *brachijs in Crucis modum protensis orationem continuat.* 89.

INTER Capucinorum Patres, ac Religionis illorum satores locum sibi vendicat F. IOSEPHVS *à Colleamato.* Qui solo habitu atque tunica toto vitæ curriculo contentus, vix vllo vnquam tempore, nc gelidissima quidem hieme ad ignem accedebat, meliores sibi prunas, quibus animo calefieret, ex oratione & diuini amoris incendio, quàm ex conflagrantibus lignorum fasciculis, quærens. Dæmonibus eum ab oratione auocare conantibus inuictus CRVCIFIXI pugil fortius aduersus hostem Stygium dunicans, gloriosa indies de eo trophæa, diuina virtute reportabat. F. IOSEPHVS *à Colleamato.* *Ad ignem nunquam accedit.* *Dæmones arcet.*

Hominum consortia fugiens, ad solitaria loca libenter se conferebat; vbi *Solitudinis amans.*

Fiducia in Crucifixū. brachijs in CRVCIS modum protensis, vt plurimum Dominum orabat. Magnam habebat in CRVCE & CRVCIFIXO fiduciam, ideoque CRVCIS signo vtebatur ad omnis generis morbos sanandos. Ita mundauit leprosum; puero disiunctas ex lapsu capitis partes connexuit: puellam claudam, gibbosam, ac alijs corporis incommodis affectam, ad
1557. integram valetudinem perduxit.

Flor. Seraph. tom. i. 148. 149.

X.

AMATOR CRVCIFIXI.

90. *spinosis malogranati virgis corpus cædit ad honorem Christi dirissime flagellati.*

F. SEBASTIANVS à Gratterio. *Sanguinea flagellatio.* FR. SEBASTIANVS *à Gratterio*, vir sanctimonia clarus in Ordine S. Francisci Capucinorum, corpus continua affligens inedia, carnem tam dira singulis noctibus flagellatione cædebat, vt totum circum aream flagellationis locum sanguine conspergeret. Sacro autem

Veneris

Veneris die, ob DOMINICAE PASSIONIS memoriam familiari flagellō alterum singulare ex spinosi malogranati virgis confectum adiungebat: quo tam seuerè seipsum excarnificabat, vt dorsi caro disrupta, perpetuam ferè in scapulis plagam gereret. ADMIRANDVM.

Nihil hac Flagellatione Satanæ molestius erat, qua cum ipse acrius flagellaretur, odium in eam conceptum aliquando hoc facto declarauit. Semel peracta flagellatione, cum Sebastianus habitum, quem exuerat, nullibi reperiret; Satanæ artem esse suspicatus, face accensa omnes Ecclesiæ angulos ac secreta frustra rimabatur; cum fortè oculos altius attollens, eam à Dæmone in excelsam Ecclesiæ trabem delatum animaduertit. Inuidus siquidem Satan cùm virum DEI alia ratione à flagellatione prohibere non posset, hac saltem arte deludere atque ab ea absterrere fuit conatus. *Diabolo exosa Religiosi flagellatio.* *Dæmonis fraus.*

Flor. Seraph, tom. 1. 169. 1572.

DE-

DECAS VI.

I.

AMATOR CRVCIFIXI

sextâ hebdomadæ feriâ Missam de Paßione peculiari deuotionis sensu celebrare, vel audire consueuit.

91.

F. SEBASTIANVS à Gratterio. *Inter sacrificandū lacrymatur. In hostia sacra apparet Ecce Homo.*

NOminatus proximè Fr. SEBASTIANVS Sacrum illud de PASSIONE eo die facere erat solitus tanto pietatis sensu, vt copiosos semper in eo lacrymarum imbres effunderet. Hinc contigit aliquando, vt illius celebrationi incumbens cùm ad eam Missæ partem peruenisset, in qua ter *Agnus* DEI inuocatur, CHRISTVS Dominus purpura indutus, spinis coronatus, ferrea catena à collo dependente, manibusque post terga reuinctis, totus sanguine conspersus illi in hostia appareret, eo planè modo, quo eum Pilatus ad populi conspectum produxerat, cùm diceret, *Ecce homo.*

Hostia ad formam pristinam redit.

Quo aspectu tam ingenti dolore mens ipsius protinus liquefacta fuit, vt im-

vt immensos singultus ac lacrymas complens, verba vlterius proferre non potuerit, donec Hostia ad propriam accidentium formam redeunte, flebile illud Domini spectaculum ab eo recessit. Atque ita factum est, vt nunquam deinceps sacra celebraret, quin ab ipsius oculis copiosa lacrimarum flumina erumperent. 1572.

Flores Seraph t.1.170.

II.

AMATOR CRVCIFIXI

in mortis articulo, intento in Vulnus Lateris Christi digito, testimonium spei ac fiduciæ in Crucifixum relinquit, 92.

F. HIERONYMVS *à Foroliuio. Vir vitæ austerissimæ.*

VIR fuit vita austerissimus F. HIERONYMVS *à Foroliuio*, qui cum ieiunio ferè perpetuo, cilicio, flagellis, vigilijs, atque alijs vitæ austerioris asperitatibus multos annos traduxisset in familia S. Francisci Capucinorum, morbo lethali correptus, cùm integris sensibus ad vitæ finem properaret, pater

eius carnalis, qui à filij morientis latere non recedebat, his eum verbis compellabat: Fili, si te DEVS ad cælestis beatitudinis regnum adduxerit, aliquod nobis tuæ coronæ in morte testimonium præbe. Cui cum Hieronymus annuisset, paruo post tempore elapso, dum primum Angelicæ salutationis signum datur, fidelis DEI seruus in eam Prophetæ vocem erumpens: *Laudate Dominum de cælis*, totoque illo psalmo integrè decantato, cum ad ea verba peruenisset: *Omnis spiritus laudet Dominum*, feliciter DEO spiritum reddidit.

Laudet Deum in fine vitæ.

Quo tempore dexteram ad CHRISTI CRVCIFIXI imaginem, quæ illi à dextris pendebat, extendens, ac ceteris digitis contractis, indicem tantum explicans, quo VVLNVS dextrum Saluatoris indicabat, illud patri suo, ac reliquis suæ salutis atque adepti REGNI CELESTIS testimonium reliquit.

Digitum in Lateris Vulnus intendit.

1566. *Flor. Seraph. t. 1. 223.*

III. A-

III.

AMATOR CRVCIFIXI

cum impetu ad Crucem amplexandam fertur, instante mortis articulo. 93.

FR. IOANNES à *Terrá Noua* religiosus antiquus, cum septuagesimum annum ageret, febri correptus, diuina reuelatione sui transitus horam agnouit. Itaque sacris omnibus procuratis, ipso extre mo spiritu cum morte confligtans, CRVCEM, quam semper amauerat, quæque ex opposito lectuli pendebat, cum impetu quodam spiritus amplexurus, cum è lecto surrexisset; mox corpore elanguens, dum labitur, spiritus ad CRVCIS Triumphatorem euolauit: eodemque tempore vndique luce perfusus, cuidam Fratri oranti apparuit, cui cælestia se à DEO præmia assequutum esse significauit. 1513.

F. IOANNES à *Terra-Noua.* *Mortis instantis fit certior.*

Flores Seraph. to. 1. p. 237.

IV.

AMATOR CRVCIFIXI

à teneris annis assuescit ad Crucis cultum; & Crucifixi Imaginem à lapsu vendicat.

94.

F. VINCENTIVS à Flauianus. Puerulus vocatur à Christo.

PVERVLVS erat, Fr. VINCENTIVS à Flauiano posteà dictus in Religione, quippe qui necdum ætatis sextum annum agebat, cum nocte quadam dum quiesceret à Domino vocatus, eum audiuit dicentem: Surge velociter, Vincenti, atque ad Fratrum Ecclesiam festina; ruit enim Imago mea, nisi citius à lapsu vendicetur.

Pius tunc paruulus matri ad cuius latus iacebat, anxius è somno exitatus, dicebat: mater, heu mater citò ad FF Minorum Obseruantium Ecclesiam pergamus; nam Domini Imago ruit. Cui mater, sile, fili, & dormi.

Surgit fugit noctu ad templum.

Cùm autem tertio Matrem compellasset, flens tandem è strato surgit, soloque indusio contectus ad Ecclesiam Minorum pergit anxius, ostij tintinnabulum pulsat,

pulsat, ianitorem monet: ianitor Fratres: accurrunt illi, & ad Ecclesiam conuenientes, antiquam CRVCIFIXI statuam, quæ ante Chorum pendebat, ita è CRVCE disiunctam conspiciunt, vt vix vno clauo, vnaque manu CRVCI hæreret,

Ante hanc CRVCIFIXI Imaginem puer sæpius noctu, dum horæ matutinæ cantarentur genu flexus in oratione permanebat, hauriens spiritum à CRVCIFIXO & amorem CRVCIS, quem in Religione multis annis verbo & exemplo ostendit, vsque ad annum ætatis septuagesimum. *Ante Crucifixum noctu orat.* 1573.

Flor. Seraph. t p. 292.

V.

AMATOR CRVCIFIXI

optat, & rogat à Crucifixo vulnus in corpore, vt sentiatur in carne propria Vulnerum Paßi Domini acerbitas. 95.

FR. BONAVENTVRA *Panormitanus* Capuc. Sacerdos, vir eximiæ patientiæ austeritatis, atque innocentissimæ vitæ, cùm esset mortuus, animaduersum *F. BONAVENTVRA Panormitanus.*

Vulnus gerit in latere. sum fuit, illum habuisse Vulnus graue in dextero latere: quod cum multis annis occultum gestasset, nec vlli vnquam hominum manifestum fecisset, facilè cunctis
1580. persuasum fuit, illud eum à DEO precibus impetrasse, vt CHRISTI CRVCIFIXI VVLNERVM memoriam ac dolorem sentiret.

Flores Seraphici.tom 1 p 307.

VI.

AMATOR CRVCIFIXI

ex animi erga Passum Dominum teneritudine, ad memoriam, & multo magis, ad auditionem & lectionem Passionis Dominicæ lacrymatur, gemit, singultit, & similia summè dolen-
96. *tis signa edit.*

F. BERNARDVS *Foro-Sempronianus, Laicus.* ADMIRANDAM vitæ austeritatem coluit, inter FF. Capucinos F.BERNARDVS *Foro Sempronianus*, Laicus, qui cùm à carnibus & vino abstineret, semel tantùm in die, pauperibus cibis, velut herbis ac leguminibus vescebatur.

Oratio-

Orationis studiosissimus, adeò ea delectabatur, vt cùm somno parcissimè vteretur, maiorem in ea, ac præsertim in PASSIONE DOMINI meditanda, noctis partem transigeret: *Paßionis meditator aßiduus.*

Hanc ille tot lacrymis prosequebatur, vt dum semel solitarius in nemore oraret, tam forti ac vehementi vocis eiulatu DOMINI PASSIONEM; vt nonnulli seculares viri, qui fortè nemus ingressi fuerant, deplorantis huiusmodi voces audientes, cùm sinistrum quicquam illi accidisse suspicarentur, eò statim accurrerent. Quibus ille sui fletus caussam aperiens, tanta cæpit animi pietate, ac lacrymarum copia cum ijs de Christi Domini CRVCIATIBVS, ac laboribus agere, doloresque inde maximos recensere; vt omnes in fletum ac lacrymas erumpere, ac tam atroces Domini sui pænas secum deplorare compulerit. *Lacrymatur Paßionem meditans.* *Auditores ad lacrymandum compellit.*

Lacrymas ob assiduam PASSIONIS CHRISTI Domini meditationem, tam familiares sibi conciliauerat, vt cùm aliquando Prædicatorem de DOMINI PASSIONE, in Ecclesia concionantem audiret, in tam ingentem fletum erumperet; vt ne Concionatorem impediret, inde abscedere compulsus fuerit. *Familiaris lacrymatio*

Idem ob DOMINICAE PASSIONIS *Flagellatio Ordinis.*

NIS amorem, ac præſertim, CHRISTI Domini FLAGELLATIONIS memoriam, præter conſuetas Ordinis flagellationes, ſemel in quolibet anno, FLAGELLATIONEM, quæ DOMINICA appellatur, per quinque horarum ſpacia, in ſe ipſo ſeuerius exercebat,

Flor. Seraph. tom. 1. p. 137.

VII.

AMATOR CRVCIFIXI

nihil æſtimat pœnas huius vitæ omnes conſideratione Crucifixi Domini,

97. F. IOA. BAPTISTA *Fauentinus* *In ſeculo ſceleribus contaminatiſsimus*

F. IOANNES BAPTISTA *Fauentinus* cum vitam diu plurimis, ac turpiſſimis ſceleribus contaminatam duxiſſet, eò tandem ſcelerum deuenit, vt proſcriptorum ac facinoroſorum omnium caput conſtitutus, tot prioribus ſceleribus crimina adderet, vt velut immaniſſimum, ac fætidiſſimum improbitatis monſtrnm cunctis ſe flagitijs ingurgitaret. Demum, quæcumque in homine, nefario, vitia deprehendi, publiciſque

legibus

legibus damnari possunt, ea vniuersa in hoc redundare videbantur.

Vir proceræ magnitudinis & tam robustis viribus à natura præditus erat, vt medium hominem arreptum diu manu in aere suspensum teneret. Dextrum brachium ita læuo protensius, à natiuitate acceperat, vt cùm ensem dextera distringeret, tam longè in alterum protenderet, vt hastam manu gerere videretur, Vultus furorem; oculi ferocitatem sermo atrocitatem præ se ferebat: animus illi erat ad omne facinus audax.

Descriptio hominis ferocißimi.

Hic mirabiliter ad DEVM conuersus, & Capucinorum Ordinem ingressus, tantam mox vitæ austeritatem instituit, vt reliquos in admirationem raperet: tam diris corpus flagellis cædebat; vt perinde ac si ligneum ac marmoreum, non carneum fuisset, illud exciperet: his cætera pænitentiæ opera erant consentanea, in quibus semper sui suarumque appetitionum erat victor egregius.

Ad Deum conuertitur.

sæuit in corpus terribiliter.

CETERVM, cum tam fera ac terribili natura præditus esset, vt eam non nisi summa vi, ac violentia ad virtutem ageret, accidit, vt semel in Refectorio, quod Capucinis Capituli loco cedit, dura reprehensione à Superiore exciperetur. Qua

Natura ferus.

Qua cum grauiter ipsius natura ad dura impatiens, commoueretur, eam tanta vi sibi illata repressit, vt venam sibi pectoris aperuerit.

Venam pectoris disruptam.

Quare cum deinde solus in Ecclesia ante CRVCIFIXVM ingeniculatus, prostratusque ante altare oraret, Dominoque pectoris sanguinem offerens, confidenter diceret: En Domine IESV, qualia pro tui amore patior, repentè Dominus ex lignea CRVCIFIXI Imagine, dextera manu reuulsa, laterisque ei VVLNVS ostendens, respondit: vide, Baptista, qualia & ego pro te in CRVCE sustinui.

Crucifixo offerri.

Responsum Crucifixi.

Qua Domini voce Baptista, animo liquefactus ac lacrymis obrutus, alacrior deinceps ad propositum certamen per patientiam cucurrit, illum sedulo animo recogitans, qui *talem sustinuit aduersus semetipsum pro peccatoribus contradictionem.*

1562.

Flores Seraphici tomo 1 p. 373.

VIII.

AMATOR CRVCIFIXI

fiduciâ adiutorij à Cruce, fornacem ab inflammatâ calce ardentem ingreditur.

98.

CVM

CVM fornax calcaria, ad Conuentus Capucinorum Rhegini ædificationem, extructa esset, & iam secunda die arderet, animaduerterunt calcarij Opifices, fornacem ruinam minari, cùmque ea re eò grauius cruciarentur, quod nullo modo ruinam instaurari posse intelligerent, Fr. BONAVENTVRA *Rheginus* Laicus, animo consternatos in spem diuinæ benignitatis adsurgere, eosque refectionem sumere iussit. Intereà fiducia incredibili Signo CRVCIS seipsum armans ardentem fornacem ingressus est, per flammas ad ruinam penetrauit, ardentes lateres suis locis disposuit, fornacem suffulsit, ruinas instaurauit. Quo in opere non paruam temporis moram insumpsit. Tum verò à flamma tam illæsus iterum per os fornacis est egressus, vt nec habitus pilum ab igne exustum haberet, nec ignis odorem præseferret.

F. BONAVENTVRA *Rheginus. Laicus.*

ADMIRANDVM.

Cruce armatus per flammas in fornace graditur.

Expauere vniuersi, qui eum fornacem accensam ingredientem conspexerant: at verò cùm à fornace, non tam incolumem, quàm ne flamma quidem delibatum exeuntem cernerent, DEI CRVCE signatis virtutem contra ignem quoque dare soliti beneuolentiam potestati iunctam summis laudibus extulerunt, & vir

DEI in CRVCEM fiduciam, ac sanctitatem tam admirabili signo contestatam sunt venerati.

1555. *Flores Seraphici, tomo 1. p. 355.*

IX.

AMATOR CRVCIFIXI.

petita ante Crucem ope; in Crucifixi nomine aucupium instituit infirmorum curæ præpositus.

99.

F. IACOBVS *Nursia. Laicus.*

HOc feliciter cessit Fratri IACOBO à *Nursia* qui cum ægrotis obsequia præstaret, habuit ægrum, in valetudinario, qui cibotum inappetentia laborans, rogauit, vt auiculam arte aliqua in nemore apprehenderet, & in cibum pararet. Cui Iacobus, promptissimè præstabo, confestimque ad nemus pergens, cum nec decipulam, nec tendiculam haberet, qua aues caperet, coram lignea CRVCE, quæ in arboris trunco erecta erat CRVCIFIXVM Dominum orare cæpit, vt de suæ liberalitatis penu auiculam ægroto prouideret.

Crucifixũ in nemore adorat.

Nec dum ab oratione surrexerat Iacobus,

bus, cùm repentè auiculam volantem, atque in infimo arboris ramo deinde quiescentem videt. Nititur auem apprehendere, sed cùm altius ramus ille emineret, quam is manu attingere posset, saxa quædam grandia per nemus dispersa congregat, alterum alteri imponit, strepitum edit qui volucrem ad fugam compellere posset: expectat tamen auicula, ac ramo incubat, donec eam Iacobus manu apprehendens ad ægrotum deferret. 1566.

Flores Seraphici. tom. 1. p. 381.

X.

AMATOR CRVCIFIXI

detestatus Pilatum, vt iniquissimum Christi ad Crucem condemnatorem. 100.

F. NICOLAVS à *Quinque Frondibus* *Laicus.*

CVM DOMINICAE PASSIONIS meditationi intentus esset Fr. NICOLAVS à *Quinque Frondibus*, Laicus Capue, Sententiam à Pilato aduersus Dominum vehementius deporabat, Cùm repentè Pilatus atris vestibus indutus, atque

vndi-

vndique nigerrimis, ac horrendis coruis circum ſeptus apparuit. Cuius conſpectu exhorreſcens initio Nicolaus, deinde ei dixit: Quis es tu? Cui Pilatus, Ego ſum Pilatus, Chriſti iudex ac condemnator. Mox ad eum Nicolaus: heu miſer! cur tam iniuſtam contra Dominum meum ſententiam ferre auſus es? Cui ille: id non ſponte, ſed timore perculſus præſtiti. His dictis,
1570. volucre citius, cum coruis, nigris ſe condidit vmbris.

Flores Seraphici tom. 1. p. 400.

DECAS XI.

I.

AMATOR CRVCIFIXI *ad Crucis baiulationem, quam*
101. *Chriſtus peregit, peculiari mentis affectu fertur.*

F. IACOBVS à Nurſia Laicus. Aſpectu

F. IACOBVS à *Nurſia* Capuc. Laicus, cuius ſuperius facta eſt honorifica mentio, cùm Dominum ſublatam in humeros CRVCEM ad Caluariæ montem ferentem multis lacrymis defleret, en CHRISTVS in eadem forma CRV-

CEM

CEM BAIVLANS eidem ſe aſpectandum præbuit. Quo aſpectu ita illius anima CHRISTI amore liquefacta fuit, vt perennes deinde, ex ſola illius memoria lacrymas funderet. *Christi Crucem baiulantis mire afficitur,*

Flor. Seraph p. 126. t. p 400.

II.

AMATOR CRVCIFIXI

incitatum & Paſsionis Dominicæ meditatione dolorem continere nequit. 102.

F. ALEXANDER *Appulus* Capucin. neque clamoribus, neque lacrymis, vbi diuinos CHRISTI CRVCIATVS meditando incaluerat, moderari valebat. Elegerat ille ſibi domeſtica in ſylua horridam ſub rupe ſedem, ibique anguſtiſſimam ex luto ac vimine domunculam ſtruxerat, in qua procul arbitris ad contemplationem incumberet. *F. ALEXANDER Appulus.*

Exundabat ſubinde animus, erumpebatque in gemitus, ſuſpiria, clamoreſque ad eò ingentes; vt ſocijs in cænobio agentibus non leuem moleſtiam crearet. Cuius ipſe non neſcius, quàm poterat modeſtiſſimè excuſans: parcite, aiebat, parcite; imbecillius mihi pectus eſt, quàm vt incitatum *Nec lacrymas nec clamores cohibere poteſt.*

dolorem illius ego claustris possim coercere, nisi liberè dolor erumpat, disrumpet atque enecabit. Genius hic est Amoris, eandemque amat libertatem.

Ioann Rhò lib.3. var. Virt. histor. lib 3. cap 2.

III.

AMATOR CRVCIFIXI *defectu virium amorem suum erga Crucifixum testatur.*

103.

F. MARTINVS Valentinianus. Ordin. Minor.

F. MARTINVS VALENTINIANVS Ord. Min, non verbis ardentibus, sed mirabili virium defectione suam erga CRVCIFIXVM Dominum caritatem testabatur. Quibus enim hebdomadis anniuersaria illius recordatio mæstam habet Rempublicam, ipse viribus destitui, & languere, veluti fugiente anima consueuerat. Eclipsim magni Solis non sentire non potuit, qui eiusdem amore splenderet.

Ioann. Rhò variæ virtut. histor. lib 3. cap. 2.

IV. A-

IV.

AMATOR CRVCIFIXI

suspirans identidem se nil velle nisi Crucem protestatur. 104.

F. ANDREAS OLMOS Ord. Min. flagrantissima in CHRISTVM CRVCIFIXVM fuit caritate. Siquidem eius in animo perpetua recordatione defixis saluberrimis illis Cruciatibus, quibus Orbis totius salus constituta est, subinde alto quodam suspirio totus liquescens repetebat: *Mihi autem absit gloriari, nisi in* CRVCE *Domini Nostri* IESV CHRISTI. Et, quid ego velim, nisi CRVCEM? Nemo sic loquitur, qui non amet. Profectò, quæ & crebris sermonibus vsurpari, & aliud agentibus improuiso cum suspirio erumpere consueuerunt, eorum animos liquet esse plenissimos.

F. ANDREAS *Olmos. Ord. Min.*

Nam & quorum montium interiora vastis æstuant incendijs, cacumina crebratis subinde flammis coruscant, & densè plerumque fumo obsidentur. Fumificum animi os esse nemo dubitat.

Ioan. Rhò variæ Virt. histor. lib. 3. *cap.* 2.

V.

AMATOR CRVCIFIXI

dictis, factis-ue varijs suum ergà Crucem & Crucifixum affectum declarat.

105.

I.
F.FRANCISCVS

SCATENT Chronica & Annales Ordinum Religionis S. FRANCISCI optimis sententijs, & factis præclarissimis Virorum pietate illustrium, quæ, ne sit opus ad diuersos referre titulos, hic breuiter, sed distinctè ponam aliquot,

S.FRANCISCVS visus est nocte orans manibus ad modum CRVCIS protensis, toto corpore subleuatus à terra, & nubecula quadam fulgente circundatus. Quodam tempore F.Leo vidit illum tam altè eleuatum; quod tangere poterat pedes eius: aliquando eleuatum ad cacumina arborum. *a.*

II.
F.IOANNES *de Etheo.*

F.IOANNES *de Etheo* Ierosolymis captus à Saracenis, permittente DEO, non valens pænas sustinere, fidem abnegauit: sed facti pænitens, post reuocationem eorum quæ negauerat, primò verberibus crudelissimè cæsus; deinde, sale & aceto plagis asper-

aſperſus, demum ſex clauis fuit CRVCIFIXVS, ſemper fidem Chriſti adfirmando, & Mahumeti deteſtando, *b.*

ANNO M.D.XCVII. quinta die Februarij, F. Petrus, F. Martinus, F. Franciſcus, F. Philippus, F. Gundiſaluus, & alter F. Franciſcus ex Prouincia S. Gregorij ob Catholicæ fidei confeſſionem, iuſſu Iaponenſium Imperatoris, fame, ſitiquè in carcere cruciati, abſciſſis auriculis, & curribus attracti per medias, Meacum, Vſacam, Sacai vrbes; poſt alia tormenta Langaſachæ CRVCIBVS affixi, lanceiſque confoſſi ſunt, vnà cum viginti Iaponinis, quos CRVCIFIXO Domino pepererant, ſicque fortiter obierunt. *c.* III. FF. CRVCIFIXI

F. NICOLAVS *Factor*, pietate, ſpiritu prophetiæ, miraculorum gloria valdè illuſtris, adeò erat intentus contemplationi PASSIONIS CHRISTI, vt quoties Vulneris lateralis, ſeu amariſſimæ Paſsionis Dominicæ, ſiue inter concionandum, ſiue inter celebrandum, ſiue inter aliquid aliud faciendum, meminiſſet, toties raperetur in extaſim. Vixit Valentiæ in Hiſpanijs Anno M.D.LXXX. *d.* IV. F. NICOLAVS *Factor.*

F. IOANNES *ab Aluerna* puer, die Lunæ, Mercurij, Veneris ſemel tantùm mammas ſugebat. PASSIONEM CHRI- V. F. IOANNES *ab Aluerna.*

STI meditādo in tantum lacrymis se cruciabat, & mactabat corpus suum tam duris disciplinis, quod de carne eiūs riuuli sanguinis defluebant. Consuebat circa collum & corpus vrticas. Tempore magni algoris, niuium & hiemis nudus ibat. Aliquando portauit loricam, aliquando corium porcinum, aliquando tunicam de pilis equinis nodosam, & ad carnem circulum ferreum. Triginta annis aquam tantum bibit. In Quadragesima nihil comedit singulis diebus, nisi herbas, quantum intra duos digitos manus posset stringere.e

VI. DISCIPULI S. Francisci. S. FRANCISCVS *volebat Fratres suos tantum scire* CHRISTVM, qui vt Paulus ait, *factus est nobis sapientia*, & virtus. Vnde *Discipuli* Francisci *libros non habentes*, CRVCEM *pro libris coluerunt. Et continuatis aspectibus diebus, & noctibus reuoluebant, exemplo Patris & eloquio eruditi, qui iugiter faciebat eis de* CRVCE CHRISTI *sermonem.* f.

Paulus Apostol. Præcessit in hoc Paulus Apost. cuius erat gnome: *Non iudicaui me scire aliquid inter vos, nisi* IESVM CHRISTVM, *& hūc* CRVCIFIXVM, 1. *ad Corinth.* 2. addit Glossa. *In* CRVCIFIXO *discitur, quod vetus homo Crucifixus est, vt non seruiatur peccato. Non ergo ita accipiendum est, quod hic dicit Apostolus, tanquam ea tantum dixerit, quæ sunt credenda de Christo; sed etiam quæ obseruanda.*

F IOANNES *ab Aluerna* semel Missam faciens optabat videre Christum ea forma, qua de CRVCE fuit depositus: tunc apparuit ei ita CHRISTVS. VII. F. IOANNES *ab Aluerna.*

Aliàs, cùm verba Consecrationis pronunciasset statim ei apparuit Dominus IESVS CHRISTVS, ostendens ei humilitatem, quæ fecit eum incarnari, & quotidie venire in manus Sacedotis.

Alteri Fratri, consecratione facta apparuit CHRISTVS CRVCIFIXVS. *g.* VIII. F. ANONIMVS

Quidam relinquere volens Ordinem aspectu CHRISTI VVLNERATI & CRVCIFIXI in Ordine cõfirmatus fuit. *b*

a. *S. Bonauen. Vita S. Fran. cap* 10.
b. *Lib. Conformitat. Henric. Sedulius li.* 3. *Apogol. cap.* 4.
c. *Tabula definitionis Capituli General. Romæ celebrati anno* 1600.
d. *Gonzaga in Prouinc. Valent. Con.* 9.
e. *Lib. Conformit, Sedulius in Apol. lib.* 3. *cap* 9.
f. *Lib. Confor. Sedulius lib.* 3. *Apol. c.* 10.
g. *Lib. Confor. Sedul. lib.* 3. *Apol. cap* 18.
h. *Lib. Confor. Sedul lib.* 2. *Apol cap.* 8.

IX. F. PETRVS *à Martina.*

F. PETRVS *à Martina* Laicus Capucinus extremos Hebdomadæ S. dies absque vllo omninò, præterquam lacrymarum pane, atque oratione celebrare consueuerat.

Flor. Seraph t. 2. *p.* 660.

X. P. IOSEPHVS *à Leonissa*

F. IOSEPHVS à Leonissa, Capuc. vix septi-

mum ætatis annum attigerat, cùm sextas cuiuslibet hebdomadæ ferias ad Dominicæ Pasſionis memoriam panis & aquæ ieiunio celebraret

Flores Seraphici tom. 2 p. 296.

VI.

AMATOR CRVCIFIXI

106. *habet Crucem, vt inſtrumentum vniuerſale ad omnis generis infirmitates curandas, patrandaq́ admiranda.*

HVIVS rei exempla ſunt penè innumera in geſtis F. F Minorum, Ordinis cuiuſcumque ſub S. Franciſci nomine ac patrocinio militantis. Selecta quædam hic ponam, omiſsis quàm plurimis, quæ per Opuſculum ſparſa ſunt,

I S. FRANCISCVS. EVGVBII ciues à quodam ſæuiſsimo lupo adeò infeſtabantur, vt eius timore non niſi armati oppidum exire non auderent. S. Franciſcus à concione ſua obuius *Lupum fratrē vocat.* it beſtiæ, hiante ore in ſe feraliter incurrenti, Lupum, aſpectu communis creationis, fratris nomine compellans, compeſ- *Signo Crucis cicurat.* cuit, facto aduerſus eum Signo viuificæ

CRV-

CRVCIS, ne cui deinceps noceret, in nomine CHRISTI præcepit. Ille à B. Patre obiurgatus, capite demiſſo procidit ad genua Sancti, veluti gratiam delictorum poſtulans. Qua data, Franciſcus icto fædere inter Eugubienſes & Lupum pacem conciliauit hoc pacto: vt Lupus præda & feralitate abſtineret; in vicem Lupum alerent ciues. Lupus igitur, tanquam agnus manſuetiſsimus S. Franciſcum comitatus, vnà intrant oppidum. Ciues admirantur Lupum, quem antea timuerant, vt publicum hoſtem, amare cæperunt vt incolam; eſcam oſtiatim petentem, & quidem eum nullo cane adlatrante toto alunt biennio vt domeſticum canem. *Contractus inter Lupũ & Eugubios.*

Bartholomæus Piſanus lib. Conformit. fruct. 10 Sedulius lib. 3. Apologetici aduerſus Alcoranum cap. 29.

Quidam hæretici S. ANTONIVM inuitauerunt & dixerunt: Euangelium dicit, quod comedas, de omni, quod tibi apponitur: ſtatim ante eum poſuerunt magnum & horribilem bufonem. Quod videns B. Antonius, ſigno CRVCIS bufonem in caponem aſſatum mutauit. Videntes autem hæretici, qui aderant, ad fidem conuerſi, omnes de eo comederunt. *II. S. ANTONIVS Patauinus Bufonem vertit in Caponem.*

Piſanus lib. Conform. fruct. 8.

III. F. ANDREAS de Anania. auiculas assatas resuscitat.

F. ANDREAS de Anania, quadam die, cùm appetiſſet auiculas aſſatas comedere, & præparatas ante ſe haberet, nolens appetitui condeſcendere, Signo CRVCIS facto mandauit vt abirent. quæ ſtatim reuixerunt, & auolauerunt.

Alcoran. Franciſ ex lib. Conform. Sedulius lib 3. Apolog. cap. 28.

IV. S. FRANCISCVS.

S. FRANCISCVS in Erimitorio S. Vrbani ſigno CRVCIS, aquam conuertit in vinum optimum. Item, acetum in vinum commutauit.

Piſan. lib. Conformit. Sedulius lib 3. Apolog. cap 28.

V. F. RAINALDVS.

F. RAINALDVS fuit vir perfectionis & ſanctitatis, qui quendam cæcum Signo CRVCIS illuminauit.

Piſan. lib. Conformit. Sedul. lib. 3. cap 25.

VI. F. LEO.

F. LEO claruit ſignis dum adhuc viueret. Quædam mulier de Codale Comitatus Spoleti habens apoſtema ſub mammilla, quod multam ſaniem emittebat, & auxilio medicorum nullatenus poſſet iuuari, ad F. Leonem accedens, cùm eum rogaſſet, vt ſupra vulnus apoſtematis ſignum faceret CRVCIS: cùm feciſſet, ſtatim liberata eſt, vt nullum cicatricis ſignum remaneret.

Piſanus eod. Libro. Sedulius lib 3. Apologet. cap. 24.

F. Io-

VII. F. IOANNES *de Tentialbene.*

F. IOANNES *de Tentialbene*, cuidam orbato oculis, cùm signum CRVCIS fecisset, visum perditum restituit. Cuidam paralytico cùm signum CRVCIS fecisset, protinus eum liberauit. Dum Signum CRVCIS fecisset cuidam patienti fortiter in manibus, dolor extemplò recessit.

Iidem ll. citt.

VIII. F. BERNARDVS *Auximensis.*

QVIDAM ex FF. *b* Capucinis sacerdos, *Ioannes Baptista Anconitanus*, cùm pluribus annis sæuissima cephalalgia tortus fuisset, à *F. Bernardo Auximensi.* eiusdem Ordinis viro religioso CRVCIS signum postulauit Quo accepto tam perfectè conualuit, vt nunquam deinceps ea cruciatus fuerit

Flores Seraphici tom. 2. p. 126.

IX. F. GABRIEL *à Monte Nouo.*

F. GABRIEL *à Monte Nouo* Religiosus Capucinus mulierem fascino alligatam in Fanestri vrbe Signo CRVCIS à Dæmonis potestate liberauit.

Flores Serap. T. 2. p. 148.

X. F. COSMAS *Caulonensis*

F. COSMAS *Caulonensis* eiusdem Ordinis Lauræ Cursaræ copiosum bombycem fascino alligatum CRVCIS Signo à fascino soluit. Bombyx verò ab eo liber benedictione eiusdem pinguescens, consueti operis duplum deinde nutrici suæ reddidit.

Flores Seraph. to. 2. p. 162.

XI. F. FRANCISCVS à Castellone.

F. FRANCISCVS à Castellone Neapoli Dianæ cuidam Moniali Capucinæ altero oculo orbatæ lucem restituit.

Mulierem alteram, quæ partus periculo laborabat, eodem CRVCIS signo, fætu prouocato à periculo liberauit.

Flores Seraphici tom. 2. p. 165.

XII. F. CLEMENS Aprianensis.

F. CLEMENS *Aprianensis* in villam quandam cum Nouitio profectus, molossorum rabiem contra eos excitatam signo CRVCIS coercuit.

Flores Seraph. to 2. p. 189.

XIII. F. PACIFICVS à Sestino.

F. PACIFICVS *à Sestino*, *Valerianum AEsinum* Nouitium varijs Dæmonum molestijs agitatum CRVCIS Signo ab ijs infestationibus liberauit.

Flor. Seraph. t. 2. p 203.

XIV. F. CONSTANTINVS à Saluatore.

CONSTANTINVS *à Saluatore* Frentani virum diutina quartana febre vexatum, nulla prorsus interiecta temporis mora signo CRVCIS sanauit.

Flores Serap. T. 2. p. 219.

XV. F. ANTONIVS Ebolensis.

Admirandus planè fuit in hoc genere F. ANTONIVS *Ebolensis*, qui CRVCIS signo, lignea CRVCE, quam secum gestabat formato omne penè morborum genus abegisse narratur.

Flores Seraph p. 499.

VII.

AMATOR CRVCIFIXI

ex fiducia in Crucifixũ, pallio suo Cruce signato pro nauiculâ ad transfretandum vtitur. 107.

FIOANNES BVRGENSIS Ordinis Fr. Min. de Obseruantia, natione Sebusianus, humili loco, & obscuris, sed pijs parentibus natus in S. Francisci familiam Dolæ apud Sequanos cooptatus, euasit in eximium Concionatorem, ita, vt Rex Christianissimis Carolus VIII. eum sibi & à Concionibus, & à Confessionibus deligeret, eoque quam diu per intestina dissidia mox consequuta licuit, vteretur in litteris institutore. Nam Rex Ludouicus XI. adeò ἄμουσος fuerat, vt Carolum filium nullis omninò litteris imbui pateretur; sed eo duntaxat Latino effato, quod ei infigi mandauerat, cõtentum esse iuberet: *Qui nescit dißimulare, nescit regnare.*

F. IOANNES Burgenus. Concionator Confessarius Caroli VIII. Institutor.

Itaque Carolus, ex quo per obitum patris regni habenas capessiuit, F. Ioannem, *Regi familiaris sinu.*

 nem,

F. Ioannem, quo vtebatur familiarissimè, cum ad reliqua proposita munera, tum etiam ad instillanda litterarum principia adhibuit, & in eius gratiam S. MARIAE ab Angelis, ædem in Lugdunensi suburbano exędificari suis sumptibus voluit. In eo cænobio Præfectum perpetuum, vti Rex edixerat, egit F. Ioannes, ibidemque feliciter migrauit è vita, clarus miraculis.

Regi familiarissimus.

INTER quæ primum fuit patratum virtute CRVCIS, ex fiducia, haud dubiè, erga CRVCIFIXVM. Nam scribit auctor fide dignus, constitisse apud omnes, cum Ligerim transgredi vellet, aditurus Montembrisonem, negante nauiculario vsum nauiculæ, quod naulo careret, expanso super aquas pallio, super quod manum in CRVCEM duxerat, insedisse cum socio, sicque fluuium feliciter traiecisse.

Ligerim transit expanso in pallio.

Theophilus Raynaudus in Mantissa indiculi sanctorum Lugdunensium pag. 444.

VIII. A-

VIII.

AMATOR CRVCIFIXI

respicit frequenter Crucem & Crucifixum in vita, vt ipsum vicißim respiciat in morte. 109.

ITA solet facere CRVCIFIXVS, vt vicem rependat Amatori suo. Quod accidit antea laudato F. IOANNI BVRGENSI. Hic cùm moreretur, CRVX lignea, quam ad cænobium S. Mariæ AEgyptiacæ apud Allobroges statui in præalta rupe curarat, cum ad Boream spectaret, mutato situ, vi diuina, ad Occasum obuersa est, Lugdunum versus. Nam ibi Pater optimus in cænobio suo animam ponebat. Vnde CRVCI illi à *F. Ioanne Burgensi* indita est appellatio, quæ nunc quoque perseuerat. F. IOANNES *Burgensis.*

Theophilus Raynaudus in Mantissa Indiculi Sanctorum Lugdunensium pag. 447.

IX.

AMATORI CRVCIFIXI

est familiare, flumina, strato pallio, Cruce signato, transfretare.

109.

F. MATTHAEVS à Bassio. Transit gurgitem. Padum. Athesin.

F. MATTHAEVS à BASSIO, primus FF. Capucinorum Generalis Vicarius, Fossapelasella Venetias proficiscens gurgitem Signo CRVCIS tantum exhibito, sine vllo periculo pertransijt. Padum fluuium extenso super vndas pallio secundò traiecit. Cum Leniacum appellisset, quæ arx est Athesis fluminis rapidissimi vndis propinqua, nullo ibi nauigio reperto, quo flumen transmearet, post breuem orationem, strato pallio in alteram fluminis ripam concessit.

Æquor.

Arimino Venetias nauigare volens, à nauta reiectus, expanso super vndas pallio tam celeriter æquora sulcare est visus, vt nauigio illo post terga relicto breui tempore Venetias appulerit: nautæ autem maris tempestate iactati, non nisi post tres dies Venetum littus attigerunt, & Matthæum in S. Marci platea prædicantem repererunt.

Pisau-

Pisauro iterum cùm Venetias adnauigans ingenti tempestate exorta in mare demersus esset, marini vortices, DEO imperante, Matthæum, instar nauigij fuerunt, quibus omni nauigio celerius Venetias est aduectus. *Sustinetur maris fluctibus.*

Hinc Fossam Clodiam dimissus, paullo post, pallio, quemadmodum solitus erat, super vndas substrato, populo Veneto spectante, maris vndas sulcauit, & communi applausu ac lætis clamoribus redeuntem Veneti exceperunt. *Maris vndas in pallio sulcat.*

Idem CRVCIS signo aquam maris dulcem reddidit. *Aquam maris dulcem reddit.*

Pallium suum imbre madidum cum igne focoque careret, neque ei locus aptus suppeteret, vt ad solem expanderet, super ipsum solarem radium, qui per fenestram in hospitio extendebatur exposuit, radiusque perinde ac si solidus murus esset, pallium sustinuit. *Pallium in radio solari suspendit.*

F. Carolus de Arenberg Bruxell Capucinus in Floribus Seraphicis in Matthæo à Bassio. p. 6. Plura istiusmodi in viris Ordinis Capucinorum illustribus eod. volumine occurrunt.

DECAS

DECAS XII.

AMATOR CRVCIFIXI BONAVENTVRA.

110.

Elogium S. BONAVENTVRAE.

VLTIMVS locus, inter tot Seraphicos CRVCIS Amatores, seruatus est, honoris caussa, quippe dignissimus, Doctori Seraphico, qui vnus & scriptione deuotissima, erga CRVCEM ac CRVCIFIXVM, & actione vehementissima ceterorum laudem omnem complectitur, tantæ sanctitatis, vt viuo etiam datum sit, quod incredibile videri posset elogium. In BONAVENTVRA *videtur Adam non peccasse.* O Virum inter Amatores CRVCIFIXI incomparabilem! Is igitur vltimo loco paginas aliquot impleat vice Coronidis aureæ; cuius verba & intellectum illustrent, & inflamment affectum.

I.

AMATOR CRVCIFIXI

fructus multiplices meditationis assiduæ de Passione Dominica, auditoribus, lectoribusque suis inculcat. III.

HOC fecit frequenter in varijs opusculis suis S. BONAVENTVRA, sed accommodatissimè ad praxim, qua ipse excellabat, in Stimulo Amoris, quo vttu exstimuleris, accipe paucula. F. BONAVENTVRA.

Venerabilis PASSIONIS CHRISTI continua & deuota Meditatio mentem tuam ab huius seculi mundanis & carnalibus concupiscentijs sequestrabit: cor tuum ad spiritualia & cælestia subleuabit. Quid cogitandum sit, quid loquendum, quid respondendum, quid tacendum, quid vel qualiter agendum sit, tibi veraciter indicabit: te demum ad ardua, & difficilia incitabit: vt vilificeris, despiciaris, & affligaris summum desiderium tibi præstabit. Te in cogitatu tuos & in opere, atque in sermone perfectissimè *Passionis continua & deuota meditatio quænam efficiat.*

ſime regulabit. Et , breuiter, in cunctis necesſitatibus tuis tibi ſufficientiſſimè miniſtrabit.

Nam ſi fueris pauper, indeficienti theſauro te ditabit : ſi in tenebris , te luce clariſsima illuminabit: ſi inſcius vel ignarus , te ſapientia veriſsima magiſtrabit: ſi rigidus, vel crudelis, te ad compaſsionem & miſericordiam dulciter inuitabit. Si debilis , te inſuperabili fortitudine roborabit. Si pauidus , te vigore mirabili aſſecurabit. Si aridus gratia ſua te vberius irrigabit.

Si durus & aſper , te compunctionis lacrymis mellificabit. Si aridus & amarus, te deuotionis pinguedine impinguabit. Si piger & aceidioſus , pietatis operibus occupabit. Si frigidus te diuini amoris igne inflammabit. Si fatigatus ſuauitatis requiem tibi præſtabit. Si turpis vel deformis, incredibili pulcritudine decorabit. Si ſordibus maculatus , ſui calidi ſanguinis lixiuio te lauabit

Si triſtis, flebilis, ſeu mæſtus, te ineffabili gaudio lætificabit. Si ſaucius & vulneratus, vnguento precioſiſsimo te ſanabit Si lubricus vel laſciuus cingulo caſtitatis te firmabit. Si alicuius alterius peccati morbo infectus, perfectiſsimè te curabit: & contra illud vitium & quæcumque

tela

tela ignea ipsius Diaboli inuincibilis virtutis clypeo te armabit. Si exul à patria, aut peregrinus, te simul ducens, viam eundi ad cælestem patriam clarissimè demonstrabit.

Stimuli Amor. cap. 1. Centuria 1. Crucifixus honoratus, Dec. 1, 4.

II.

AMATOR CRVCIFIXI

Paßionem Domini & Crucifixum habet, vt Regulam recti & obliqui: appetendorum & refutandorum: agendorum & omittendorum. 112.

ITA suasit omnibus CRVCEM amantibus, & maximè Fratribus suis S. BONAVENTVRA cuius est isthæc adhortatio *a*. Sit REGVLA nostra viuendi PASSIO SALVATORIS. Et tanto amplius in hoc consolemur, quanto amplius CHRISTO conformamur: & tanto amplius desolemur, quanto ab hoc Exemplari & REGVLA amplius elongamur. Semper ergo, quantum in nobis est, velimus ab omnibus conculcari, deijci, vi- S. BONAVENTVRA.

cij, vi-

ci, vilipendi, illudi, persequi, flagellari, & in diuinis obsequijs ab omnibus exprobari.

Simus nudi cum CRVCIFIXO nudo, & nihil penitus cupiamus habere: immò, habere aliquid sit nobis grauissima pœna & dolor immensus: nihil autem habere plena exultatio. Abhorreamus dulcia & delectabilia degustare, & potius velimus amaris cibari: & desideremus, quod quælibet cibaria, felleum nobis potius, quàm melleum ferant saporem; quia CHRISTVS CRVCIFIXVS felle & aceto fuit potatus.

Breuiter. Consideremus, quæ pro nobis sustinuit Dominus IESVS, & qualiter in passionibus se habuit CHRISTVS CRVCIFIXVS, & nos pro modulo nostro huic Regulæ nos conformemus.

Quicumque hanc REGVLAM *sequuti fuerint, pax super illos & misericordia.* b. Quicumque ad hanc incedent REGVLAM, quæ est PASSIO Domini & CRVCIFIXVS ij pacem habent, & tranquillitatem conscientiæ, & misericordiam, nempe DEI: effundet enim in illos DEVS misericors gratiam, consolationem, & bonorum omnium copiam.

a *Stimulo Amoris* p. 1. *cap.* 6. b. *Gal.* 6.16. *Centuria* 11. *Crucifixus honoratus* *Doc* 4 *n.* 1.

III. A-

III.

AMATOR CRVCIFIXI *admiratur vehementer ex Christi Passi consideratione, ac penè in stuporem vertitur.*

113.

MODVM docet, qui expertus est Amator CHRISTI CRVCIFIXI inter primos, BONAVENTVRA, qui paruulorum Doctor, Consideremus, inquit, *Quis, Quæ, Pro quibus* PASSVS est, & multum admirari debemus, immò, admirabimur. QVIS? scilicet, Filius DEI verus, summe potens, sapiens, bonus; & simpliciter, quicquid nobilitatis ei attribueris nihil est adhuc respectu magnitudinis suæ. Omnia quantumcumque bona sint & magna, sunt, sicut quędam fauilla: immò, quædam vanitas in comparatione ipsius. F. BONAVENTVRA.

QVAE? scilicet, peregrinationem, fugas, sitim, famem, calorem, frigus, tentationes, horrores, persequutiones, sputa opprobria, vincula, flagella, percussiones, dolores, plagas, vulnera. Conspuitur gloria, condemnatur iustitia, Iudex iudicatur, inoffensus inculpatur, innocens infamatur, DEVS blasphematur, CHRI-

CHRISTVS conculcatur, occiditur vita, obſcuratur ſol, Luna denigratur, Sidera diſperguntur. Et hæc omnia tolerat patienter, vt Agnus, cum ſolo nutu omnem creaturam demergere poſſet in profundum inferni.

PRO QVIBVS? pro nequiſsimis inimicis, immò, pro diabolicis viris, & per imitationem, Diaboli filijs, pro contemptoribus Diuinæ Maieſtatis, & Diuinæ Bonitatis ingratis. Ergo talis & tantus, talia & tanta pro tam viliſsimis paſſus eſt.

A QVIBVS? à ſpecialiter dilectis, & alijs præelectis, quibus omnem benignitatem oſtendit. A viliſsimis maximus, à ſtultis ſapientiſsimus, quia DEI Verbum & DEI Sapientia, ab impijs ſummè pius, à ſanie fætidiſsima ſplendor æternus. His omnibus in Diuinæ benignitatis, & largitatis admirationem eleuemur.

Stimuli Amor. par 1. cap. 4. Conturia 2. Crucifixi bonorati Decu. 4. num. 5.

IV.

AMATOR CRVCIFIXI

114. *gaudet, exultat, in iubilum erumpit ex meditatione Chriſti Paßi & Crucifixi.*

HIs affectibus rapiebatur, & vt plurimos

timos haberet æmulatores incitabat scriptis dictisque B. BONAVENTVRA, ista inculcans. AMATOR CRVCIS exultare debet, dum eius mysteria animo voluit, ac meditatur de Redemptione humana, Restauratione Angelica, & Clementia Diuina. De Redemptione humana per CHRISTI PASSIONEM & MORTEM. Quis, quæso, non exultet & gaudeat, cum cernit seipsum per hanc beatissimam PASSIONEM liberatum à damnatione æterna, à culpæ ignominia, à potestate diabolica?

F. BONAVENTVRA.

Quis non exultet in immensum, cum cernit DEVM ipsum in tantum se diligere, vt tantæ vilitati & pænalitati subiecerit sanctissimam Humanitatem adsumptam eius caussa? Non quod gaudeat de vilitate illius & PASSIONE, sed de effectu, affectusque & amoris manifestatione. Quis Princeps in regno vel imperio alicuius Imperatoris, vel Regis, cernens se tantum à Rege aut Imperatore diligi, vt paratus esset mori pro ipso non gauderet & exultaret? Quanto magis vilissimus homo, nefandissimus peccator, & seruus gaudere debet & exaltare, cùm videt Regem Regum & Dominum dominantium, ac Creatorem suum IESVM ita continuò ipsum diligere, vt immo lauerit se ipsum

pro eo, in tam turpi, & vilissima morte. Debet horum Contemplator super extolli immensa exultatione, cogitans, quod à CRVCIFIXO, sine comparatione plus diligatur, quam ipse se diligat.

Gaudeat etiam & exultet Amator CRVCIFIXI, quod per CHRISTI PASSIONEM restaurata est Angelica ruina. Magna iucunditas debet nobis esse, cum videmus per CHRISTI Mortem tam nobile Collegium reparari de nobis, vt fiat vnum ouile, & vnus Pastor, & simus vnum in vno. In hoc enim debet tota celestis curia, & etiam militaris Ecclesia gratulari. O certè amabilis & venerabilis PASSIO salutaris, qui sic disiuncta coniungis, & consequestrata conglutinas, & vnis, firmissimè in simul, stringisque vinculo consumantis amoris, & felicitate gaudij sempiterni.

Præcipuè autem gaudere & exultare debet verus CRVCIFIXI Amator, quod in supra dictis cernat summam clementiam Domini DEI que nostri IESV CHRISTI. Hæc puto, inquit Seraphicus Doctor, summam esse gloriam bonorum tam hominum, quam Angelorum, quod intimius & profundius contēplentur clementiam, & beneuolentiā DEI, & immensitatē bonitatis eius: & hoc debet esse cuiuslibet contemplantis exultatio medullaris.

Sed vbi, quæso, magis apparet diffusio bonitatis diuinæ, & benignissimæ clementiæ dulcissimi & amantissimi Patris & Domini N. IESV CHRISTI, quàm in Passione, vbi talia, tanta, tam turpia & grauia sustinere voluit pro inimico suo liberando, & glorificando, pro vanitate quadam digna morte æterna? In istud gaudium intret, homo & reficiatur magnificentia benignitatis diuinæ. Accedat homo ad cor altum, & in corde suo exaltetur, excellentissima & inenarabilis Clementia CHRISTI PASSI & CRVCIFIXI.

S. Bonauen stimuli Amor. cap. 4.

V.

AMATOR CRVCIFIXI

liquescit feruida deuotione in meditatione Christi Paßi & Crucifixi.

115.

VT possit dicere Amator CRVCIFIXI quod Amatrix sponsa: *Anima mea liquefacta est.* Liquefactio opponitur congelationi, quæ constringit, vt non admittatur quidpiam aliud, quod se insinuet: illa verò dilatat, dum mollificat, quod est proprium amoris, qui per se est liquefactiuus cordis, vt exhibeat se habile ad recipiendum amatum, & amantē idemq; præstat amorosa deuotio. *a* S. BONAVENTVRA.

Itaque sensu D. BONAVENTVRAE

experientia docti *b*. dum Amator CRVCIFIXI *sitibundus* PASSIONEM *ruminat, non cessat*, & intrat *secundum posse suum*, PASSIONIS Thesaurum ibique deuotè quiescit, LIQVESCIT *amore deuoto, & feruida deuotione, vel dilectione deficit à se, & requiescit in* CHRISTO CRVCIFIXO. *Quanto autem plus inhæret* CRVCIFIXO, *& appropriat, tanto amplius deuotißimo amore in se deficit*. & LIQVESCIT.

Et quanto plus deficit à se amore & deuotione, tanto amplius eidem DILECTO, pro se mortuo in hæret, & plus requiescit in eo. Atque ita mutuo se augent ad hæsio amoris & deuotio, donec tota Sponsa absorbeatur ab illo camino amoris PASSIONIS Dilecti. Sic in amplexibus SPONSI CRVCIFIXI soporata quiescit. Is autem sibi in ea Liquefactione & Quiete complacens, clamat: *Adiuro Vos filiæ Ierusalem, ne suscitetis, neque euigilare faciatis Dilectam, donec ipsa velit*.

a *S. Thomas* 1.2.*q*.28.*art*.5. *Sandæus Lib*. 2. *Theol. myst. Comm*. 6. *Exercit*. 11. b. *Stimulo Amoris p*.1.*Cap*.4 *Cantic*. 4. 5. *Anima mea lique facta est*, c. *Cant*.3.

VI. A-

VI.

AMATOR CRVCIFIXI conuertitur in suum Crucifixū. 116.

ARTIFICIO Doctoris Seraphici, qui præscribit, vt consideremus beatissimam CHRISTI D. PASSIONEM ad cordium nostrorum RESOLVTIONEM, & etiam perfectam TRANSFORMATIONEM in ipsum. Quod fit, quando homo non solùm imitatus, compatitur, admiratur, & exultat; sed etiam totus homo conuertitur in eum, scilicet DOMINVM IESVM CHRISTVM CRVCIFIXVM, vt iā quasi vbiq; & semper CRVCIFIXVS sibi occurat. S.BONAVENTVRA.

Immò, tunc ille verè in CRVCIFIXVM resoluitur homo, quando exiens ex se & super positus vniuersis; immò, super se abstractus ab omnibus, totus est conuersus in Dominum suum PASSVM, vt nihil videat, aut sentiat intra seipsum, nisi CHRISTVM CRVCIFIXVM, illusum, exprobatum, & PASSVM pro nobis.

Stimul Amor. p. 1 cap. 4.

VII.

AMATOR CRVCIFIXI CHRISTVM CRVCIFIXVM habet pro Bibliotheca omnium disciplinarum libris refertißima. 117.

PRAE-

F. BONAVENTVRA. PERHIBENT S. Thomam Aquinatem cùm miraretur raram in Doctore BONAVENTVRA doctrinam, rogasse suam vt monstraret, & patefaceret sibi BIBLIOTICAM. Quod ille promptè fecit: nam digitum in CRVCIFIXVM intendit ac si diceret: hanc suam esse omni alia, siue Alexandrina, siue Aristotelica, siue Octauia, siue Palatina, siue Vaticana excellentiorem, & magis instructam. Aliter narratur hoc ipsum, mutata Bibliotheca in Librum. a. Itaque vt ex hoc etiam proficias, accipe.

VII.

AMATOR CRVCIFIXI

CHRISTVM CRVCIFIXVM

habet pro Libro omnium artium ac disciplinarum compendio. Enchirdio, Manuali, Vade mecum, Dormi securè, Syntaxi artis mirabilis, Summa Theologica, Codice Iuridico, Epitome Aphorismorum Medicorum. Pandectis Concionatorum, Cornucopiæ omnis eruditionis.

117.

S. BONAVENTVRA. S. BONAVENTVRA rogatus à S. Thoma Aquinate ex quibus ille libris, tanquam flosculis apes, legeret sententias illas mellitas quas suis inspergebat concionibus

nibus; respondit sciscitantiin via, rem non esse platearum, sed priuatorum parietum: domum si venerit & ad suam cellam, se LIBRVM aperturum. Cum videretur Sanctus Sancto inuidere illam altè sentiendi, beneque dicendi gloriam; vrget Thomas per caritatem de libris. Respondet Bonauentura, de libris se satis facturum abundè & amicitiæ & caritati, domum suam si venerit.

Lætus venit Thomas, Bonauentura excipit lætus. Itur ad cellam, apperitur pulpitum, promitur, quid? Augustinus? minimè: etsi fuerat in Augustino multus Bonauentura: quid? Anselmus? neque: quam etsi Anselmum auidissimè peruolutarat Bonauentura, quid? Bernardus? nec iste: etsi Bernardum concoxerat Bonauentura.

Quid tantem? CRVCIFIVM osculo non digito tritum, lacrymis, non litteris notatum aperit Bonauentura, libereque respondet; hunc esse LIBRVM, ex quo colligat, & ad vitia aculeos, & ad virtutes stimulos, & flosculos, ad suauitatem, & venetes ad amorem, & reliquum artis apparatum ad reliquas concionum partes. b.

a. *Ex vita S. Bonau. 14. Iul Thom. Bozius.*
b. *Robertus Turnerus Comment. 3. in illud Ioã. 1. Ego vox clamantis. Centuria 2. Christus Crucifixus honoratus, Deca. 9. §. 4. §. 5.*

IX.

AMATOR CRVCIFIXI.

appendit ad Clauum pedes Crucifixi proforantem honorum insignia, Epomidem, Pileum, Annulum Infulam, Galerum Cardinalitium, & istiusmodi alia.

119. S. BONAVENTVRA. ID fecisse D. BONAVENTVRAM fas est credere De eo huncin modum scribit eloquens. Orator. Vix est hodie, quem purpura, tiara, dignitas de virtutis statu non moueant, studioque inanis gloriæ non efferant. At S. BONAVENTVRAE honor Purpuræ non fuit illecebra ad vitium, sed flamma ad zelum. Nam quo puncto à Pontifice acceperat GALERVM insigne dignitatis Cardinalitiæ, cum appensum ad parietem (concipe mihi CRVCIFIXVM ad cuius pedes floccatus ille Galerus pependerit) his verbis dicitur affatus.

Quæ me macula exturbat è Monasterij quiete? quod meum malum efficit, vt te Galere, amplectar, curæ cumulum, doloris morsum? sed quid te fugio Galere? cura

cura es?curis me confice, si hæ meæ curæ sint mundo salutares. Dolores doloribus me opprime, si hi mei dolores possint afflictis esse consolationes. Anathema, anathema sis mihi GALERE, si hoc meum anathema futurum sit mundo salus.

Non te fugio, quia cura es, sed timeo, quia splendor es: non te auersor quia dolor es, sed ægrè attingo, quia esca es. Quamquam esca non eris mihi, qui cupio, non vt in tuo splendore efferar, sed vt in tuo dolore deprimar. Video hic quem non sequor, zelum summum. Sed da BONAVENTVRA CRVCIFIXI Amator summe, vt quem video sequar zelum, amoremq; CRVCIFIXI summum.

Robertus Turnerus Orat 14. De Bonau. plura. Robertus de Liteo Orat. de Canonizat. S. Bonauen. Pelbartus serm. de S. Bonau. Ioan Franciscus de Pauinis, & Octauianus de Martinis in relatione circa canonizationem S. Bonau. Sixtus IV. in Bulla Canonizat. Petrus Tarentassensis in Monodia de S. Bonau. Trithemius in Catal. Scrip. Ioan. Gerso tract. de lib. leg. cons. 5. Gallesimus in vita Bonau. Stephanus Brulefer in Prolo, Sentent. S. Antonin. 3. p. hist. tit. 24. Trigosius in prælu-dijs ad Summã S. Bonau. Sixtus V. in Bulla Anno 1587. S. Bonauenturam Doctorem Ecclesiæ renuncians.

PARÆNESIS S. BONAVENTVRÆ

ad Amorem, Cultum, Imitationem CHRISTI CRVCIFIXI.

RECORDARE FRATER *pie,*
Septem vicibus in die
PASSIONIS DOMINI
Per quam ſumus liberati,
Et æternæ vitæ dati,
Et ſupremo lumini.
Hanc ſi amas & honoras,
Dicas illi certas horas,
Adhibendo ſtudium.
Horam Primam, Matutinam,
Trinam, Sextam, Veſpertinam
Nonam, Completorium.
Quando ſedes, ſtas, & iaces,
Quando loqueris, & taces
Feſſus cùm quieueris.

CHRI-

CHRISTVM *quæras, in quo speras:*
CRVCIFIXVM *corde geras,*
Vbicumque fueris.
Diligenter pone mentem
Super CHRISTVM PATIENTEM
Vt ei condoleas.
CHRISTI *Mortem Christiane*
Plange serò, plange manè.
Et in planctu gaudeas.
Quàm despectus, quàm deiectus
Rex cælorum est effectus,
Vt saluaret Sæculum!
Esuriuit, & sitiuit,
Pauper & egenus iuit
Vsque ad Patibulum.
Recordare paupertatis
Et extremæ vilitatis,
Et grauis supplicij.
Si es compos rationis
Esto memor PASSIONIS,
Fellis, & absinthij.
Cogitans hæc ingemisce.
Et in istis planctum misce,
Et cordis mæstitias.

Corpus ange, corde plange,
Mentem frange, manu tange
CHRISTI *Mortis ſemitas.*
VIRVM *reſpice* DOLORVM,
Et nouiſſimum Virorum,
Fortem ad ſupplicia.
Tibi gratum ſit & æquum,
Iam in CRVCE *mori ſecum*
Compati conuitia.
Quando vides te afflictum
Deſolatum, ita victum
Vt quaſi deficias
CHRISTI *cogites dolores*
Graues pœnas & mœrores
Sputa, contumelias.
Bone FRATER *quicquid agas*
CRVCIFIXI *vide* PLAGAS,
Et Ei compatere.
Omni tempore ſint tibi
Quaſi ſpiritales cibi
His gaudenter fruere.

S.
D. I.
H. E. G.

INDEX.

Affectuum & Operum erga

CHRISTVM CRVCIFIXVM ORDINIS S. FRANCISCI.

AMATOR CRVCIFIXI

S.Fran-

F. Vin-

39. In

F. Cypri-

F. Se-

64.An-

F. Nico-

F. Nicolaus Factor.
F. Ioannes ab Aluerna.
Discipuli S. Francisci
F Anonymus.
F. Petrus à Martina, Capuc. Laicus.

106. *Habet Crucem, vt Instrumentum vniuersale ad omnis generis infirmitates curandas, patrandaq; admiranda.*
S. Franciscus Assisias.
S. Antonius Patauinus.
F. Andreas de Anania.
F Raynaldus.
F. Leo

107. *Ex fiducia in Crucifixum, pallio suo Cruce signato, pro nauicula ad transfretandum vtitur.* 181.
F. Ioannes de Tentialbene
F. Bernardus Aximensis, Capuc.
F. Gabriel a Monte Nouo Capuc.
F. Cosmas Caulonensis, Capuc.
F. Franciscus à Castellone, Capuc.
F. Clemens Aprianensis, Capuc.
F. Pacificus à Sestino, Capuc.
F. Constantinus à Saluatore, Capuc.
F. Antonius Ebolensis, Capuc.

108. *Fructus multiplices meditationis assiduæ de Passione Dominica auditoribus lectoribusque suis inculcat.*
S Bonauentura.

108. *Passionem Domini & Crucifixum habet vt Regulam recti & obliqui: appetendorum*

& refutandorum: agendorum & omittendorum.

S. Bonauentura.

109. *Admiratur vehementer ex Christi Paßi consideratione, ac penè in stuporem vertitur.*

S Bonauentura.

110. *Gaudet, exultat, in iubilum erumpit, ex meditatione Christi Paßi & Crucifixi.*

S. Bonauentura.

111. *Liquescit feruidâ deuotione in meditatione Christi Paßi & Crucifixi.*

S Bonauentura.

112. *Conuertitur in suum Crucifixum.*

S. Bonauentura.

113. *Habet Christum Crucifixum pro Bibliotheca omnium disciplinarũ libris refertißima.*

S. Bonauentura.

114. *Christum Crucifixum habet pro libro, omnium artium ac disciplinarum compendio, Enchiridio, Manuali, Vade mecum, Dormi securè, Syntaxi artis mirabilis, Summa Theologica, Codice Iuridico, Epitome Aphorismorũ Medicorum, Pandectis Concionatorum, Cornucopiæ omnis eruditionis.*

S. Bonauentura.

115 *Appendit ad Clauum pedes Crucifixi perforantem bonorum Insignia, Epomidem, Pileum, Annulum, Infulam, Galerum Cardinalitium, & istiusmodi alia.*

S. Bonauentura.

NOMEN-

NOMENCLATOR

Eorum Patrum Fratrumque Religionis S. Francisci, quorum exempla continentur hoc Opusculo.

S. FRANCISCVS ASSISIAS.

F. Bonauentura Rheginus, Capuc.
S. Clara Asisias.
B. Coleta.
F. Cherubinus à Nucibus, Capuc.
FF. Capucini aliquot anonymi.
F. Cherubinus à Quilliano, Capuc.
F. Constantinus à Saluatore, Capuc.
F. Cosmas Caulonensis, Capuc.
Crucifixi Sex in Iaponia Ord. Minor.
F. Cyprianus à Monte Coruino, Capuc.
Discipuli S. Francisci.
Doctor Parisiensis, Tyro anonymus,
F. Felix à Cantalicio, Cap. Laicus.
F. Franciscus ab Aquis Bormij, Capuc.
F. Franciscus à Doracha Capuc Laicus.
F. Franciscus Scaccienfis, Capuc.
F. Gabriel à Monte nouo, Capuc.
F. Gerardus Venetus, Capuc.
F. Hierònymus à Monte Florum Capuc.
F. Hieronymus à Foroliuio, Capuc.
F. Hieronymus Nonanensis Capuc.
F. Hilarion Vibonensis, Capuc.
B. Iacoponus Ord: Minor.
F. Iacobus Forosarzinias Capuc.
F. Iacobus à Nursia, Capuc. Laicus.
F. Ioannes ab Aluerna, Ord. Minor.
F. Ioannes Burgensis Min. Obser.
B. Ioannes Capistranus, Ord. Minor.
F. Ioannes Baptista Fauentinus, Capuc.
F. Ioannes Franciscus Bononiensis, Capuc
F. Ioannes à Fano, Caput.
F. Ioannes Gerundensis Capuc, F. Io-

F.Ioannes de Echeo.
F.Ioannes de Tentialbene.
F.Ioannes à Terra-noua Capuc.
F.Iosephus à Leonissa, Capuc.
F.Iosephus Barcinonensis, Capuc.
F.Iosephus à Colleamato Capuc.
F.Isaias Mediolanensis, Capuc.
F Leo Minor.
F Lucas Narinus, Capuc.
F.Ludouicus Fulginas, Capuc.
F.Mansuetus à Valle Comunorum, Capuc. Laicus
F Marcellus Trifluminensis, Capuc.
F.Martinus Valentinianus Ord. Min.
F.Matthæus à Leonissa, Capuc.
F.Marcus à Sotoneto, Capuc. Laic.
F.Marius Forosarzinius, Capuc.
F.Michael à Denia, Capuc.
F.Matthæus à Bassio, Capuc.
F Nicolaus Hispanus, Capuc.
F.Nicolaus à Quinque Frondibus, Capuc, Laicus.
F.Nicolaus Factor.
FF.Oxonienses Minor.
F Pacificus Ord. Min.
F.Pacificus à Sestino, Capuc.
F.Paulus Barcinonensis Capuc.
F.Petrus à Murro, Capuc.
F.Petrus à Mazara, Capuc.
F.Petrus à Martina, Cap, Laicus.
F.Petrus Tudertinus, Capuc.

F. Raynaldus Min.
F. Raynerius à Burgo S. Sepulchri, Capuc. Laicus
F. Saluator Canianensis, Capuc.
F. Sebastianus Argyrensis, Capuc.
F. Sebastianus à Gratterio, Capuc.
F. Secundinus Altensis, Capuc.
F. Seraphinus à Monte Grana Capuc. Laicus.
F Siluester Minor.
F. Siluester Roscianensis. Capuc.
F. Valentinus ab Alto muro, Capuc. Laicus
F Vincentius à Flauiano, Capuc.
F. Vitus Hyrminiensis Capuc, Laicus.

SCRIP-

SCRIPTORES

è quibus Exempla desumpta sunt.

Abrahamus Bzouius.
AEneas Syluius.
Alcoranus Franciscanorum.
Alcoranus Nudipedum, German
Alcoranus Chordigerorum, Latino Gall.
Alcoranus FF. Minor Belg.
S Antoninus
Antonius Desa.
Aubertus Myræus.
Annales Minorum:
Annales Capucinorum.
S Bonauentura.
Bartholomæus Pisanus.
Bonfinius.
Carolus ab Arenberg
Cæsar Baronius
Chronicon Gallicum FF. Minor.
S. Francisci Legenda' vita v. Opuscula.
Franciscus Maurus.
Flores Seraphici
Gasesinius.
Gonzaga
Henricus Sedulius
Hieronymus Platus.
Ioannes Franciscus de Pauinis.
Ioannes Gerson.
Ioannes Molanus.
Ioannes Rhò.
Iulius Scaliger.
Laurentius Surius.
Lucas VVaddingus.
Liber Conformitatum vitæ S. Francisci ad Vitam IESV Christi
Matthæus Raderus.
Octauianus de Martinis.
Pelbartus.
Petrus Tarentasiensis
Philippus Bosquier.

Ro-

SCRIPTORES

Robertus de Liteo.
Robertus Turnerus.
Sixtus IV. Pont. Max.
Sixtus V. Pont Max.
Stephanus Brulefer.
Stephanus Iuliacus.

Trigosus
Trithemius,
Vsuardus
Zacharias Bouerius.
Theophilus Raynaudus

FINIS.

